F. Wieseler

Adversaria in Aeschyli Prometheum
et Aristophanis Aves.

1843.

ADVERSARIA

IN

AESCHYLI PROMETHEUM VINCTUM

ET

ARISTOPHANIS AVES

PHILOLOGICA ATQUE ARCHAEOLOGICA.

SCRIPSIT

FRIDERICUS WIESELER,

PHIL. DR. ET IN UNIVERSITATE LITERARÍA GEORGIA AUGUSTA
PROF. PUBL. EXTRAORD. INSTITUTO REGIO ARCHAEOLOGICO
PRAEFECTUS.

GOTTINGAE.

SUMPTUS FECIT LIBRARIA DIETERICHIANA.

MDCCCXLIII.

VIRO

ILLUSTRISSIMO ET CELEBERRIMO

CHRISTOPH. GUILIELMO MITSCHERLICH,

PHILOLOGORUM GERMANORUM NESTORI,

DIEM, QUO ANTE HOS QUINQUAGINTA ANNOS

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES CEPIT,

PIE GRATULATUR

FRIDERICUS WIESELER.

Observantiae erga Te meae gratique in Te mei animi, vir summe venerande, ut mihi liceret palam aliquod dare testimonium, jam pridem vota feci. Ad quae solvenda quum me ante aliquot menses accinxissem, quo tempore Tibi diem natalem octogesimum tertium celebrare contigit, prohibebar, quominus consilium meum exsequerer. Quod invitus distuli, non abjeci. Nunc illuxit laetus ille dies, quo ante hos quinquaginta annos summi in philosophia honores in Te, jam diu munere professorio functum, tanquam majus aliquod ornamentum, collati sunt. En adsum, vir carissime; accipe benevole hoc munusculum, pusillum illud quidem et vix Tuo nomine dignum, sed professione pietatis excusandum. Credebam autem rei imprimis esse conveniens, studiorum meorum tale Tibi offerre specimen, e quo simul, quid ego in hac literarum universitate, cui Tu fere duodecim per lustra egregie et, jam senex octogenarius, vigore juvenili consuluisti, docendo praestitissem, ex parte quidem posses censere. Tres enim fere sunt

anni, ex quo ego optimorum sodalitio juvenum philologorum praefui. Qui quum in consessibus singulis hebdomadibus habitis et disputantes de commentationibus ab ipsis scriptis et scriptores classicos interpretantes de singulis vel rebus vel locis me consulerent et ego vicissim responsa darem, plura disserebam forsan non omnino indigna, quae philologorum et archaeologorum in notitiam perferrentur. Ex quibus pauca selegi, eaque paullo copiosius et accuratius tractata Tibi tradidi judicanda.

Vale, vir summe venerande et carissime! Deus O. M. pergat Tibi dare senectam hilarem et validam!

Scribebam Gottingae a. d. VII Kal. Majas MDCCCXLIII.

I.

ADVERSARIA

IN

AESCHYLI PROMETHEUM VINCTUM

A WELLAUERO EDITAM.

I.

Disputatur de scriptura Vs. 6 deque ratione, qua ad rupem affixus fuerit Promethcus.

Ἥφαιστε, σοὶ δὲ χρὴ μέλειν ἐπιστολάς,
ἃς σοι πατὴρ ἐφεῖτο, τόνδε πρὸς πέτραις
ὑψηλοκρήμνοις τὸν λεωργὸν ὀχμάσαι
ἀδαμαντίνων δεσμῶν ἐν ἀῤῥήκτοις πέδαις.

Verba, quae ultimo versu leguntur, non librorum mscr. Aeschyliorum nituntur fide, sed e scholio ad Aristophanis Ran. Vs. 827, ubi hic locus citatur, sunt petita. Codices praebent *ἀδαμαντίνοις* vel *ἀδαμαντίναις* vel *ἀδαμαντίνῃς πέδῃσιν* vel *πέδαισιν* vel *πέδαις ἐν ἀῤῥήκτοις πέτραις*, ita quidem ut *ἐν* in nonnullis non appareat. In cod. Guelph. *πέτραις* erasum est et in Vindob. C. et Farn. in *λέγω* mutatum ab iis, qui in repetito vocabulo offenderent. Quivis unus, qui accurate pensitaverit, quantopere codicum lectiones consentiant et ab ea, quae a scholiasta Aristophanio tradita est, discrepent, illi codicum consensui plus tribuendum esse censebit, quam scholiastae; laudandusque Schneiderus, ceteroquin ille non sane laudabilis Aeschyliarum reliquiarum editor, quod, quum priores Promethei editores — opinor eam imprimis ob caussam, quod e scriptura codicum mscr. hunc locum apte restitui non posse putarent — librorum mscr. auctoritatem non curassent, contrariam iniit viam, scripturam, quae in scholio Aristophanio servata est, conjectori deberi judicans. Sed quam ipse probavit codicum scripturam et quas excogitavit interpretationes, stare eae haudquaquam possunt. Scripsit autem: *ἀδαμαντίναις πέδῃσιν ἀῤῥήκτοις πέτραις*, quae verba sic explicavit: «mit stählernen (festen) an den Felsen (beim Einschlagen in dieselben) nicht zerspringenden Fesseln oder mit solchen die den Felsen nicht zu entreissen sind.» Quae si stare possent,

saltem *πέδαισιν* esset scribendum, cfr. Ellendtii Lex. Sophocl. Vol. II, p. v sqq. — Ex verbis *χαλινοῖς ἐν πετρίνοισιν*, quae Vs. 561 leguntur, cum iis, quae hoc loco et subinde accuratius exponuntur, compositis jure licet sumere, Prometheum non solum aereis vinculis ad rupem fuisse affixum, sed simul rupe ipsa corpus certe ex parte quasi amplectente constrictum. Similiter Prometheum in Caucaso vinctum pinxerat Euanthes in templo Jovis Pelusiotae teste Achille Tatio III, 8: *δέδεται ὁ Προμηθεὺς σιδήρῳ καὶ πέτρᾳ*. Quae verba minus recte intellexit L. Annibal Crucejus, quum sic interpretatus est: «Prometheus ferreis catenis rupi adligatus erat.» Cfr. etiam quod cap. 6. dixit Achilles Tatius: *πέτραν* Prometheo esse *τὸ δεσμωτήριον*. Id ipsum a poeta hoc loco, ab initio fabulae posito, quo ipsum Jovis mandatum eloquitur Robur, ut par erat, accurate significatum esse censeo, cujus eam ipsam scripturam unice veram esse arbitror, quae in editione Robortelliana reperitur:

ἀδαμαντίναις πέδαις ἐν ἀῤῥήκτοις πέτραις.

De hoc uno dubitare licet, utrum *ἀδαμαντίναις* scribendum sit an *ἀδαμαντίνοις*. Pro illa scriptura facit librorum mscr. et numerus et auctoritas, pro hac quod minus usitata est locutio *ἀδαμάντινοι πέτραι*, de qua vide Friderici Jacobsii annot. ad Anthol. Graec., T. III. p. 622. Illa scriptura recepta hoc dicet Robur: ***esse Prometheum ex mandato Jovis ad rupem alligandum firmo vinculo ita ut simul rupe infragili circumdatus sit.*** Videtur autem Prometheus in aliquo rupis hiatu positus fuisse ita, ut pars tantum corporis promineret et in conspectum veniret. Quae sententia, in propatulo est situm, quam egregie quadret ad id, quod pluribus de caussis pro certo sumi potest, Promethei imaginem quandam ligneam oculis eorum, qui spectabant, subjectam fuisse. Quam imaginem, si nostra sententia probata fuerit, licebit ita comparatam fuisse statuere, ut sola anterior pars exhibita esset et is, qui Prometheum agebat, non in ea, sed pone eam in hiatu rupis versaretur; quae ratio vel per se plurimum habet, quo se commendet. —

II.

Emendatur Vs. 49.

ΗΦΑΙΣΤΟΣ.

Ὦ πολλὰ μισηθεῖσα χειρωναξία.

ΚΡΑΤΟΣ.

Τί νιν στυγεῖς; πόνων γάρ, ὡς ἁπλῷ λόγῳ,
τῶν νῦν παρόντων οὐδὲν αἰτία τέχνη.

ΗΦΑΙΣΤΟΣ.

Ἔμπας τὶς αὐτὴν ἄλλος ὤφελεν λαχεῖν.

ΚΡΑΤΟΣ.

Ἅπαντ' ἐπράχθη πλὴν θεοῖσι κοιρανεῖν.
Ἐλεύθερος γὰρ οὔτις ἐστὶ πλὴν Διός. 50

ΗΦΑΙΣΤΟΣ.

Ἔγνωκα τοῖσδε κοὐδὲν ἀντειπεῖν ἔχω.

Versus 49 quum diu in suspicionem esset vocatus et magno multoque opere tentatus a viris doctis, nuperrime exstiterunt, qui omnino sanum esse censerent. Et Carolus quidem Winckelmannus in «Observationibus in locos aliquot Promethei Aeschylei,» Soltquellis a. 1834 in lucem emissis, p. 2 sq., versibus 49 et 50 hanc subesse censet sententiam: «*omnia efficiuntur, praeterquam quod a diis non efficitur, ut suo arbitratu agant; liber enim praeter Jovem est nemo.*» Constructionem versus 49 hanc esse: *Ἅπαντ' (ἅπασι) πλὴν θεοῖσι κοιρανεῖν ἐπράχθη.* Aoristum *ἐπράχθη* rem usu cognitam significantem idem, quod *δύναται*, valere, sed ita ut ille rem ad credendum faciliorem reddat. Cur *κοιρανεῖν* converterit *suo arbitratu agere* haec affert Winckelmannus: «primum,» ait, «quod versu sequente, quippe qui hujus causam contineat, Jupiter non *rex* sed *liber* eam ipsam ob causam, quia de eadem re hoc versu dictum sit, appellari videtur; deinde quod, quum *pendere ab aliquo vel res vel homines* hoc verbum significet, *is, a quo non alienae quidem sed tamen suae res pendent*, si, id quod hoc loco fit, ex ipsa sententia id apparet, recte dicitur *κοιρανεῖν*.» Contra Schneiderus sic interpretatus est: «alles geschah (ward dir zu Theil) ausser den Göttern zu befehlen (was blos des Zeus Sache ist, so dass du dich also über dein Loos nicht zu beklagen hast).» Similiter Bellmannus in libro, quem *de Aeschyli ternione Prometheo* scripsit,

p. 14, locum cepit, sic explicans: «*at omnia* facta i. e. perfecta, constituta, *data* (cuinam? perpetuitate argumenti duce: *tibi deo Vulcane*, quicum confabulor Robur, *aliis diis*) *praeter imperare diis, quod solum penes Jovem* (*non item alios deos*) est.» Mentem loci hanc esse: «*Juppiter quemadmodum imperitandi munus cui tu obsequaris administrat: sic tu flagitanti contentus artem exhibebis. Etenim non tu Jovi imperas, sed imperat Juppiter tibi.*» — Frustra. Locus enim quin vitium traxerit, dubitari nequit. Scribendum autem pro ἐπράχθη est ἐπράθη, ut mens loci haec evadat: *omnia vendita* h. e. in servitute *sunt praeter imperare diis, liber enim et sui juris nemo est praeter Jovem.* Quivis unus senserit, quam egregie hac emendatione recepta singulis verbis versus 49 responsura sint singula verba versus 50; nam locutio ἐλεύθερός ἐστι spectabit ad ἐπράχθη, ut πλὴν Διὸς ad πλὴν θεοῖσι κοιρανεῖν. Simillimus est locus, qui legitur Choephorum versu 902:

Διχῶς ἐπράθην ὢν ἐλευθέρου πατρός,

ubi et verbum πραθῆναι eodem significatu metaphorico adhibitum est et eadem ratione vocabulum ἐλεύθερος oppositum verbo πραθῆναι. Aoristus ἐπράθη ad id tempus spectat, quo munera inter deos distributa erant, qua de re verbo λαχεῖν proxime praegresso significatum erat. Verba, quae modo emendatiora dedimus, tam ad ea, quae Robur ipsum Vss. 46 et 47 dixerat, probanda serviunt, quam ad demonstrandum, inutile esse optatum Vulcani post illa prolatum Vs. 49. Etenim si revera omnia munera, excepto uno imperio in deos, quod penes Jovem erat, in servitute erant, vix aptum erat dicere, ipsam artem esse, quae Vulcano labores creavisset, quum potius universa deorum reliquorum condicio in caussa esset; et, etiamsi faber ferrarius non esset factus Vulcanus, tamen munus nacturus fuisset, quo non minus arte, quam revera profitebatur, servus Jovis redditus fuisset. —

III.

Profertur conjectura de Vs. 258.

ΧΟΡΟΣ.

Οὐδ' ἔστιν ἄθλου τέρμα σοι προκείμενον;

ΠΡΟΜΗΘΕΥΣ.

Οὐκ ἄλλο γ' οὐδὲν πλὴν ὅταν κείνῳ δοκῇ.

Particulae *γε* rationem reddere studuit Hartungus in doctrina particularum, T. I. p. 392. Sed vide an scribendum sit: *οὐκ ἄλλοτ' οὐδὲν* etc. —

IV.

Sanatur Vs. 265.

Ἐλαφρόν, ὅστις πημάτων ἔξω πόδα
ἔχει, παραινεῖν νουθετεῖν τε τοὺς κακῶς
πράσσοντας. ἐγὼ δὲ ταῦθ' ἅπαντ' ἠπιστάμην.

Postremi versus secundum pedem quum in mendo cubare recte statuerent, vario modo sanare conati sunt viri docti. Inter quos eximia laude dignum judico Carolum Reisigium, non quod veram ipsum loci admodum vexati emendationem reperisse censeam, sed quia viam monstrasse mihi videtur, qua quis ad veram loci scripturam inveniendam pervenire possit; cfr. apparatus critici et exegetici in Aeschyli tragoedias, Halis Saxonum a. 1832 editi, Vol. I. p. XXII. Eam autem ipsam viam ego et ipse jam antequam mihi nota esset Reisigii sententia ingrediendam esse videram, id quod ideo commemoro, quod hoc nostro consensu rei ipsi magna verisimilitudinis species conciliatur. Sensit autem Reisigius, et de glossemate cogitandum esse et personae significationem exspectari. Scripsit igitur:

πράσσοντας: αὐτὸς ταῦθ' ἅπανθ' ἠπιστάμην,

non requiri in hujusmodi transitu *δὲ* particulae ligamentum existimans. Mihi contra legendum videtur:

πράσσοντας: ὅδε δὲ τ. ἁ. ἠ.,

quae et facilior est emendatio neque profecto minus apta. Elucet autem quam facile vocabulum *ὅδε* sic usurpatum interpretationi ansam dare potuerit. Rarior enim est hic ejus usus. Et fieri potest, is ut, quemadmodum hoc loco turbas effecit, ita infra in caussa fuerit, ut Vs. 747:

Ἦ γάρ τι λοιπὸν τῇδε πημάτων ἐρεῖς;

Choro, non Joni, adscriberetur. Certa tamen vocabuli substantive sic dicti exempla apud Aeschylum, quod ego qui-

dem sciam, hodie non reperiuntur. Sed hoc nihil refert; sunt enim jam apud eum, qui hunc sequitur, tragicum, Sophoclem, duo certissima Trachin. Vss. 305 et 1012, ut de aliis taceam. —

V.

Agitur de distributione loci, qui est inde a Vs. 347 usque ad Vs. 376, inter Oceanum et Prometheum. Emendatur Vs. 354. In transcursu explicatur Vs. 971 atque de Atlante et Typhone diis se opponentibus disputatur. Illustrantur verba, quae sunt Vs. 366 sq.

Οὐ δῆτ', ἐπεί με καὶ κασιγνήτου τύχαι
τείρουσ' Ἄτλαντος, ὃς πρὸς ἑσπέρους τόπους
ἕστηκε, κίον' οὐρανοῦ τε καὶ χθονὸς
ὤμοις ἐρείδων, ἄχθος οὐκ εὐάγκαλον.
Τὸν γηγενῆ τε Κιλικίων οἰκήτορα
ἄντρων ἰδὼν ᾠκτειρα, δάϊον τέρας,
ἑκατοντακάρηνον πρὸς βίαν χειρούμενον
Τυφῶνα θοῦρον, πᾶσιν ὃς ἀντέστη θεοῖς,
σμερδναίοισι γαμφηλῇσι συρίζων φόνον·
ἐξ ὀμμάτων δ' ἥστραπτε γοργωπὸν σέλας,
ὡς τὴν Διὸς τυραννίδ' ἐκπέρσων βίᾳ·
ἀλλ' ἦλθεν αὐτῷ Ζηνὸς ἄγρυπνον βέλος,
καταιβάτης κεραυνὸς ἐκπνέων φλόγα,
ὃς αὐτὸν ἐξέπληξε τῶν ὑψηγόρων
κομπασμάτων· φρένας γὰρ εἰς αὐτὰς τυπεὶς
ἐψεψαλώθη κἀξεβροντήθη σθένος·
καὶ νῦν, ἀχρεῖον καὶ παρήορον δέμας,
κεῖται στενωποῦ πλησίον θαλασσίου
ἰπούμενος ῥίζῃσιν Αἰτναίαις ὕπο·
κορυφαῖς δ' ἐν ἄκραις ἧμενος μυδροκτυπεῖ
Ἥφαιστος, ἔνθεν ἐκραγήσονταί ποτε
ποταμοὶ πυρὸς δάπτοντες ἀγρίαις γνάθοις
τῆς καλλικάρπου Σικελίας λευρὰς γύας·
τοιόνδε Τυφὼς ἐξαναζέσει χόλον
θερμοῖς ἀπλήστου βέλεσι πυρπνόου ζάλης,
καίπερ κεραυνῷ Ζηνὸς ἠνθρακωμένος.
Σὺ δ' οὐκ ἄπειρος, οὐδ' ἐμοῦ διδασκάλου
χρῄζεις· σεαυτὸν σῷζ' ὅπως ἐπίστασαι·

ἐγὼ δὲ τὴν παροῦσαν ἀντλήσω τύχην, 375
ἔστ' ἂν Διὸς φρόνημα λωφήσῃ χόλου.

Verba quae leguntur inde a Vs. 347 usque ad Vs. 376 quum in libris mscr. ita distributa sint inter Oceanum et Prometheum, ut ea, quae ante Vs. 373 posita sunt, illi assignentur, quae postea habentur, huic dentur, viri docti, qui recentioribus temporibus de hoc loco egerunt, in duas discesserunt partes, omnes illos versus Prometheo continuantes alteri duce Elmslejo, alteri a parte codicum stantes, nisi quod unus ex his — Reisigium dico — nonnulla ante Vs. 373 intercidisse suspicatur cohortationem quandam continentia, cujus quidem caussa protulerit Oceanus fratris et Typhonis exempla. Cfr. imprimis Schuetzii commentarius, p. 74, Toepelmanni «adnotatio ad tralationem vernaculam,» p. 76 sq., Reisigii disputatio, l. c. p. xxii sq. publici juris facta, denique uberrima Bellmanni expositio, l. c. p. 23 sqq. Mihi media quaedam ineunda via videtur. Nam versus illos non Promethei censeo esse solius, sed Oceani et Promethei, ita quidem, ut huic non ea demum verba tribuantur, quae inde a Vs. 373 leguntur, sed is jam inde a Vs. 367 verbis ἔνθεν ἐκραγήσονταί ποτε sermonem Oceani suscipiat. Cur autem priorem versuum illorum partem Oceani esse existimem, non Promethei, potissima ea caussa est, quam Reisigius attulit his verbis: «Vs. 347—372 non sunt prioribus continuanda tamquam Promethei verba: ab Oceano potius proferuntur eo consilio, ut, si fieri possit, Atlantis et Typhonis exemplis mitigetur inexorabilis adhuc Promethei atrocitas. Documenta autem illa exempla sunt eorum, quae dixerat Vss. 318. 319. Quodsi cum verbis Oceani: τοιαῦτα μέντοι τῆς ἄγαν ὑψηγόρου γλώσσης τἀπίχειρα γίγνεται — haec conferuntur (Vs. 360): ὃς αὐτὸν ἐξέπληξε τῶν ὑψηγόρων κομπασμάτων, dubitari nequit, quin Promethei ὑψηγορία notetur: quod si secus esset, in semet ipse inveheretur Prometheus.» Quod enim Bellmannus arbitratur, nihil impedire, «quominus statuamus, Themidis filium aut significare Typhoeum, qui etsi molimina nunquam rata futura comminaretur, tamen Jovi tantas tam graves poenas pependerit; aut qui dicteria ore emiserit, quae ipsi per se Jovi ὑψήγορα κομπάσματα visa gravissime puniri coepta essent,» quam alteri praestare putat rationem — dubito num inventurus sit, qui ipsi assentiatur. Leviores caus-

sas ab aliis illas jam prolatas, ne multus sim, taceo, praesertim quum solae per se non idoneae sint rei conficiendae. Ab altera vero parte etiam iis argumentis refutandis supersedere licet, quibus Bellmannus eam, quam nos tuemur, sententiam impugnavit p. 24 et 25, quum nimis quaesita esse et infirma cuivis uni vel non monito eluceat. Unum tamen, quod p. 26 protulit vir doctus, saltem verbo attingam. Dubitat enim «an *κασιγνήτου* absque *τοῦ* vel *σοῦ* in Oceani ore de Promethei fratre *non possit* intelligi.» Nec sane injuria. Nescio memineritne vir doctus verborum a Prometheo ad Mercurium directorum, quae sub finem hujus fabulae leguntur Vs. 970 sq.:

κρεῖσσον γὰρ οἶμαι τῇδε λατρεύειν πέτρᾳ
ἢ πατρὶ φῦναι Ζηνὶ πιστὸν ἄγγελον,

quo loco Schneiderus *πατρὶ* interpretatur «tuo patri» respectu versus 949, ubi Mercurius ad Prometheum conversus *πατὴρ ἄνωγέ σ'*, ait, *οὕστινας κομπεῖς γάμους αὐδᾶν* etc., dictum existimans illud vocabulum. Sed falso, si quid video; significant enim verba *πατρὶ φ. Ζ. π. ἄ. tanquam patri* (meo) *esse Jovi fidum nuncium*, h. e. *idem esse qui tu.* Hoc saltem concedendum erit Bellmanno, illam interpretandi rationem minus facilem esse altera. Sed non reputavit, *κασίγνητον* aeque bene atque *fratrem* significare posse *fratris* vel *sororis filium.* — Cur porro jam verba *ἔνθεν ἐκραγήσονταί ποτε* et quae sequuntur Prometheo tribuenda esse censeam, haec duo me movent; prius hoc, quod vaticinium primis hujus loci verbis contentum magis consentaneum est a Prometheo datum statuere, quam ab Oceano, qua de re bene disputavit Bellmannus l. c. p. 24, alterum hoc, quod argumentum versuum 370, 371, 372 tale est, quod non quadret ad Oceani consilium supra significatum, contra Prometheo exemplum Typhonis nihil valere demonstraturo apprimis conveniat. Subest autem illis verbis haec fere sententia: *ut Typhoni quanquam fulmine Jovis in carbones soluto talis tantaque desaeviendi vis manebit, sic etiam ego, quanquam vinctus vexatusque Jove jubente, nec plane ad nihilum redigar et Jovi semper timendus ero.* Accedit, quod, si haec nostra conjectura probata fuerit, non jam opus erit statuere, post Vs. 372 non dicam tale quid, quale Reisigius opinatus est, sed omnino aliquid intercidisse, et

verba σὺ δ' οὐκ ἄπειρος et quae sequuntur optime Prometheo tribui poterunt, quae, si antecedentia Promethei non esse censueris, ita comparata esse fatendum erit, ut Prometheum ad sermonem Oceani respicientem, ut par est statuere, non deceant. At enim praevideo, fore, qui in eo, quod Prometheus in medio versu orationem Oceani excipit, offendendum esse ajant atque contendant. Tamen tale quid neque hujus ipsius fabulae Vs. 982 non locum habere concedendum erit. Quod exemplum quum Carolus Lachmannus aliquando removere conatus esset, mox tamen ipse vir clarissimus, qua est ingenuitate, se errasse professus est, cfr. quae dixit in libris de chor. system. trag. gr., p. 124, et de mensura tragoediarum, p. 20. Hic vero imprimis ita comparatus locus est, ut talem, si vocare placet, insolentiam admittat. Optime enim a poeta res sic est instituta, ut Oceanum sermocinando ad tale quid delabentem faceret, quod Prometheo facilem adversandi ansam praebere posset. Quali de re dum Oceanus nihil sentiens loquitur, subito eum interpellat ejusque sermonem excipit Prometheus, ut solent ii, qui in ejusmodi condicione versantur. Hinc etiam magis placet ἔνθεν interpretari *unde*, quam *inde*. Et haec quidem super hac re dicta sufficiant; nam Reisigii judicium negantis, «fervens adeo et imaginibus redundans orationis genus, maxime a Vs. 367, in Prometheum convenire, cui jam non sit otium aliena mala lamentandi,» ne quis probet, probatum nostrae sententiae obvertat, non veremur.

Hactenus de universi loci distributione. Videamus jam de uno ejus commate illo, quod viris doctis apertum vitium sanare adnitentibus maximas molestias creavit:

Τὸν γηγενῆ τε Κιλικίων οἰκήτορα
ἄνδρων ἰδὼν ὤκτειρα, δάϊον τέρας,
ἑκατονταπάρηνον πρὸς βίαν χειρούμενον
Τυφῶνα θοῦρον, πᾶσιν ὃς ἀντέστη θεοῖς.

Et mendum quidem, in quo verbum ἑκατονταπάρηνον cubat, pluribus modis et sublatum est et potest tolli, quorum qui verus sit, hodie exputari nequit. Postremus versus, quem in vitio esse metri ratio evincit, plurimis conjecturis tentatus est. Quarum maxima pars ita est comparata, ut πᾶσιν θεοῖς servetur. At ipsum illud πᾶσιν habet quod displiceat et mendi suspicionem moveat. Primum enim jam per se non nimis

pacet locutio *πᾶσιν ὃς ἀντέστη θεοῖς*. Exspectabas: *πᾶσιν ὃς μόνος ἀντέστη θεοῖς* vel simile quid. Aptius quam id, quod libri mscr. porrigunt, jam id est, quod Butlerus de conjectura ejus in locum substituit: *μόνος ὃς ἀντέστη θεοῖς*, modo ullam verisimilitudinis speciem prae se ferret. Deinde neque a re se commendat scriptura vulgaris vel alia quaecunque huic similis. Et primum quidem respectu Typhonis. Illis enim verbis mirum esset si poeta exprimere voluisset: ***Typhonem se imperio omnium deorum opposuisse***; sed, si ad vivum resecantur, Typhon dicitur ***omnibus diis ipsum adortis restitisse***. At hoc non est verum. Potius Typhon adortus est deos. Et in theogonia quidem Hesiodia eum cum solo Jove de imperio decertasse fingitur; nec plures Typhonis debellatores novit vetus scholiastes, qui de illo scripsit: *οὗτος πάλιν ἕτεραν μάχην τῷ Διὶ συνῆψε*. Non dubito, quin Aeschylo nihil nisi singulare Typhonis cum Jove certamen notum fuerit. Apud recentiores vero scriptores res sic describitur, ut deos, quum Typhon eos aggressus esset, statim in fugam se dedisse tradant, — qua in re enarranda sunt, qui aut Jovem solum aut Jovem et Minervam excipiant, — ad finem tamen Jovem aut solum aut simul cum Minerva horrendum illud monstrum devicisse atque domuisse. Et conspirant fere artis antiquae monumenta, de quibus dixit Gerhardus «Auserlesene Griechische Vasenbilder,» T. I. p. 24. adn. 19 et p. 146. adn. 232, quamquam non attendens ad hunc veterum scriptorum et artificum consensum. Tum neque ad Atlantem bene quadrant verba *πᾶσιν ὃς ἀντέστη θεοῖς* de Typhone dicta. Illum enim ideo commemorari hoc loco, aeque atque hunc, quod contra deos debellaverat, quanquam miro modo a poeta ne verbo quidem est significatum, tamen ei, qui sententiarum ad nexum animum adverterit, dubium non erit. Ita fuisse revera legimus apud Hyginum fab. 150 et apud alterum scriptorem rerum mythicarum ab Angelo Majo et post a Bodio editum fab. 53. Gesserat autem Atlas bellum ad minimum contra eosdem deos omnes, quibuscum Typhon pugnaverat. Jam vero si poeta Typhonem dixisset *πᾶσιν ἀντιστῆναι θεοῖς*, ea ratione, qua haec verba subjecit iis, quibus de Atlante egit, significasset, hunc non totidem diis se opposuisse, quot Typhonem. Quod num ferri possit vehementer dubito. Nec

refert quidquam, quod Atlas sane cum pluribus, Typhon solus diis restitit. Atlas enim, quem primus mythographus latinus fab. 183 simpliciter Titanum ducem appellat, certe Titanum dux fuit in illa pugna, is ut bene dici posset *πᾶσιν θεοῖς ἀντιστῆναι*. Elucet saltem, Aeschylo, illi rei si quid tribuere voluerit, scribendum fuisse aliter atque in libris mscr. est scriptum. Haec si recte a me sunt disputata, illae, quas supra significavi, emendationes inque earum numero nonnullae, quae sane quam speciosae sunt, abjiciantur oportet. Restabunt, ut Butleri inventum jam mittam, Schneideri conjecturae: *πᾶς ὅς* (h. e. *πάντως*, «aus allen Kräften») et: *στάσιν ὅς ἀντέστη θεοῖς*, quae nisi a facilitate mutationis non commendantur. Sed dubium esse nequit, quin mutatione saltem aeque facili rescribendum sit: *πάλιν ὅς ἀ. θ.* Hanc ipsam scripturam prae oculis habuisse videri potest vetus ille scholiastes, cujus verba huc pertinentia supra exscribenda curavi, modo statuatur, eum diversum fuisse ab illo, cujus verba ab *φησὶν οὖν ὁ Ὠκεανὸς* incipientia ad Vs. 353 adscripta leguntur; id quod utrum verum sit an minus, in medio erit relinquendum. Illa autem scriptura si accepta fuerit simul etiam significasse Oceanum apparebit, Atlantem tam gravia pati eam ab caussam, quod diis se opponere ausus esset, quod non plane reticere e re Oceani erat; neque aliud quid dixisse quam hoc: ***Typhonem rursus se opposuisse diis***, h. e. deorum imperio, ita ut non adsignificetur, Typhonem cum pluribus diis decertasse pugna, sed de uno solo Jove, principe et quasi vicario deorum, Typhonis in pugna adversario cogitare liceat. Imperabat autem e diis h. e. novis diis proprie solus Juppiter, qua de re poeta mox, ubi de more suo ea, quae antea dixerat, accuratius explicat, de Typhone verba faciens

ἐξ ὀμμάτων, ait, *ἥστραπτε γοργωπὸν σέλας,*
ὡς τὴν Διὸς τυραννίδ' ἐκπέρσων βίᾳ,

sed potuit poeta suo jure dicere *θεοῖς*, quoniam, quanquam solus Juppiter summum et liberum imperium tenebat, tamen etiam reliqui dii novi, Jovi ii cognati, imperii quodammodo erant participes, cfr. Vs. 228 sqq. et 437 sq.

Denique non possum non monere, verba:

κορυφαῖς δ' ἐν ἄκραις ἥμενος μυδροκτυπεῖ
Ἥφαιστος,

in quae nondum satis curiose inquisitum erat, lucem suam accipere ex iis, quae rettulit Nicander apud Antoninum Liberalem, Cap. XXVIII, p. 227 ed. Westermann., qui *Ζεὺς*, inquit, *μέγιστον ὄρος ἐπιβάλλει Τυφῶνι τὴν Λίτνην καὶ αὐτῷ φύλακα τὸν Ἥφαιστον ἐπὶ τῶν ἄκρων ἐφίστησιν· ὁ δ' ἐνερείσας τοὺς ἄκμονας τῷ αὐτοῦ τραχήλῳ διάπυρον ἐργάζεται μύδρον.* —

VI.

Corrigitur locus, qui est Vs. 429 sqq.

Μόνον δὴ πρόσθεν ἄλλον ἐν πόνοις
δαμέντ' ἀδαμαντοδέτοις
Τιτᾶνα λύμαις εἰσιδόμην θεῶν,
Ἄτλανθ', ὃς αἰὲν ὑπείροχον σθένος
κραταιὸν οὐράνιόν τε πόλον
νώτοις ὑποστενάζει.
Βοᾷ δὲ πόντιος κλύδων,
ξυμπιτνῶν, στένει βυθός,
κελαινὸς δ' ἄϊδος ἐποβρέμει μυχὸς
γᾶς, πηγαί θ' ἁγνορρύτων ποταμῶν
στένουσιν ἄλγος οἰκτρόν.

In priore hujus epodi commate quum plura suspicionem moveant et procul dubio emendatione egeant, nihil tamen adhuc repertum est, quod certum dici queat, si eximiam exceperis conjecturam Godofredi Hermanni pro *ὑποστενάζει* scribendum esse *ὑποστεγάζει* intelligentis, quam apte probavit Carolus Winckelmannus l. c. p. 10. Inter ea, quae recentissimis temporibus ad locum emaculandum praestita sunt, saltem digna est, quae cum laude commemoretur, Meinekii sententia verba poetae ita refingenda esse censentis:

ὃς αἰὲν ὑπέροχον σθένος κρατῶν
γάϊον οὐράνιόν τε πόλον
νώτοις ὑποστεγάζει,

cujus etiam eam ob caussam mentionem injicio hoc loco, quod in libro publicata est, quem licet praestantissimum ut multi philologi adituri sint verendum est, dico Gerhardi illum, cui inscriptum est: «Archemoros und die Hesperiden,» p. 33 et 75 sq.,

quo posteriore loco etiam de ratione, qua genuina lectio depravata fuerit, conjectura affertur.

Sed neque alteri commati jam pristinus nitor est redditus. Nam quod vocem *βυθὸς* non aptam esse judicavit atque repudiavit Schneiderus, jure fecit, quod vero pro ea *βάθος* — quae libri Medicei scriptura perhibetur, quum tamen secundum collationem Weigelianam Mediceus *βάθὺς* habeat, — verborum in ordinem recepit, minime est audiendus. Unice verum est, quod ipsum in codice Robortelliano reperiebatur et fortassis est etiam in Mediceo, vocabulum *βαθύς*. Quippe sunt verba, quae Vss. 429, 430, 431 leguntur, ita construenda: *βοᾷ δὲ πόντιος κλύδων ξυμπιτνῶν* (vel potius *ξυμπίτνων*, cfr. Ellendtii Lex. Sophocl. Vol. II, p. 571) *στένει, βαθὺς κελαινὸς δ' Ἅιδος ὑποβρέμει μυχὸς γᾶς*. Dubium est autem, utrum *στένει* tertius casus sit nominis *στένος*, quo etiam Eumenidum Vs. 495 usus est hic poeta, pendens ille ex verbo *ξυμπίτνων* et id indicans, quo collisio efficiatur, an *βοᾷ* tertius casus nominis *βοά*, cum verbo *ξυμπίτνων* construendus et modo rationique significandae inserviens. Hanc posteriorem explicandi rationem amplectebatur Albertus Schusterus, Cellensis, societatis philologicae sodalis, qui, a me de loco sanando monitus, in meam illam emendationem et ipse inciderat. Dorismum regnare hac in epodo, male illum in editione Wellaueriana oblteratum, certum est. Cum vocabulis *βαθὺς κελαινὸς* juxta positis comparandum inverso ordine compositum vocabulum *μελαμβαθὴς*, quo epitheto hujus ipsius fabulae Vs. 219 ornatur *Ταρτάρου κευθμών*. Cfr. etiam Vs. 1031: *κνεφαία ἀμφὶ Ταρτάρου βάθη*. —

VII.

In integrum restituitur locus, qui est Vs. 470 sqq.

Πέπονθας αἰνὲς πῆμ', ἀποσφαλεὶς φρενῶν.
Πλανᾷ, κακὸς δ' ἰατρὸς ὥς τις ἐς νόσον
πεσὼν ἀθυμεῖς.

Sic hic locus, in quo *πλανᾷ* vel *πλάνῃ*, quae procul dubio mera correctio est, vulgo cum antecedentibus verbis construebatur, secundum ed. Ald. et Rob. a Wellauero, de con-

jectura a Reisigio refictus est. Ego, quum praesertim plures libri mscr. in iisque nonnulli melioris notae *ὅστις* praeberent pro *ὥς τις*, jam diu est, ex quo scribendum esse intellexeram: *Πλανᾷ κακὸς δ' ἰατρὸς, ὅστις* etc., quam ipsam scribendi rationem a Schneidero repertam esse post animadverti, cujus, si tanti est, vide adnotationem. —

VIII.

Agitur de scriptura loci, qui est Vs. 494 sqq., deque vi ac potestate vocabulorum *ὀσφῦς* et *ἱερὸν ὀστοῦν*.

Κνίσῃ τε κῶλα συγκαλυπτά· καὶ μακρὰν
ὀσφὺν πυρώσας, δυστέκμαρτον εἰς τέχνην
ὤδωσα θνητούς· καὶ φλογωπὰ σήματα
ἐξωμιμάτωσα, πρόσθεν ὄντ' ἐπάργεμα.

Hic locus praeterquam quod prava interpungendi ratione obscuratus est, — delenda enim procul dubio interpunctionis signa, quae sunt post *συγκαλυπτὰ* et post *θνητούς*, — dubitare licet, habeatne etiam graviorem maculam adspersam. Quum enim primum legi verba Menandri, quae reperiuntur apud Athenaeum IV, p. 146, E. et apud Clementem Alexandrinum, Strom., p. 716 Sylb., repraesentata illa et tractata a Meinekio, Menand. et Phil. Reliq., p. 51, Fragm. Com. Graec. Vol. IV, p. 108:

— οἱ δὲ τὴν ὀσφῦν ἄκραν
καὶ τὴν χολὴν ὀστᾶ τ' ἄβρωτα τοῦ θεοῖς
ἐπιθέντες αὐτοὶ τἄλλα καταπίνουσι,

ubi *ὀσφῦς ἄκρα* vocatur, vidi, haec cum illis esse componenda et scribi posse: *χἄμ' ἄκραν ὀ.* Quam ipsam conjecturam Carolo Reisigio non sine magno gaudio post intellexi ex eodem illo fonte subnatam esse. Addo alterum locum, quo itidem *ὀσφῦς ἄκρα* commemoratur, a Reisigio non allatum, quamquam cum loco Aeschylio non tam arcte est componendus quam Menandri ille. Herodotus enim de Aegyptiis haec refert II, 40: *Ἐπεὰν προνηστεύσωσι τῇ Ἴσι καὶ κατεύξωνται, θύουσι τὸν βοῦν· καὶ ἀποδείραντες κοιλίην μὲν κεινὴν πᾶσαν ἐξ ὧν εἵλον, σπλάγχνα δὲ αὐτοῦ λείπουσι ἐν τῷ σώματι καὶ τὴν πιμελήν, σκέλεα δὲ ἀποτάμνουσι καὶ τὴν ὀσφῦν ἄκρην καὶ τοὺς ὤμους τε καὶ τὸν τράχηλον. Ταῦτα δὲ ποιήσαντες τὸ ἄλλο σῶμα*

τοῦ βοὸς πιμπλᾶσι ἄρτων καθαρῶν καὶ μέλιτος καὶ ἀσταφίδων καὶ σύκων καὶ λιβανωτοῦ καὶ σμύρνης καὶ τῶν ἄλλων θυωμάτων· πλήσαντες δὲ τούτων καταγίζουσι, ἔλαιον ἄφθονον καταχέοντες. Προνηστεύσαντες δὲ θύουσι· καιομένων δὲ τῶν ἱρῶν, τύπτονται πάντες· ἐπεὰν δὲ ἀποτύψωνται, δαῖτα προτίθενται τὰ ἐλίποντο τῶν ἱρῶν. Et Reisigius quidem l. c. p. xxiv non dubitat, quin secundum verba Menandri, quae jure certissima vocat, Aeschylia sint emendanda, quoniam «quomodo longitudine videatur insignis esse spina sacra vix dicas.» Nescio, memineritne Reisigius sic statuens verborum, quae reperiuntur in Etym. Magno, p. 468, 25 seqq.: Ἱερὸν ὀστοῦν, τὸ ἄκρον τῆς ὀσφύος· οὕτω γὰρ κέκληται ὅτι μέγα ἐστίν. Videntur enim haec non solum responsionem continere ad illam viri egregii dubitationem, sed etiam vulgatam loci Aeschylii scripturam defendere, modo certum sit, ὀσφῦν nihil aliud esse nisi vel id, cujus aliqua pars sit ἱερὸν ὀστοῦν, vel idem quod ἱερὸν ὀστοῦν, — de quo, ut alios taceam, constabat gravissimo harum rerum aestimatori Vossio, vid. Epistol. argumenti mythologici, Vol. II, p. 376, ed. II, — et grammaticum, quum sacram spinam magnam esse dicit, vera referre. Vis et potestas vocabuli ὀσφῦς variis modis definitur a veteribus lexicographis. Accuratius quam plurimi, quamquam neque hic satis accurate, Cyrillus apud Albertium ad Hesych. s. v. sic explicat: Ὀσφῦς τὸ πλησίον τῶν γλουτῶν· ῥάχις, ψυῖα. Etiam accuratius auctor Etymologici Magni p. 636, 23 Ὀσφῦς, inquit, λέγεται τὸ τρίτον μέρος τῆς ῥάχεως· ἡ γὰρ ῥάχις τρεῖς ἐπωνυμίας ἔχει· καὶ ἡ μὲν πρώτη καλεῖται αὐχήν· ἡ δὲ δεύτερα ἰξύη· ἡ δὲ τρίτη ὀσφῦς. Omnium tamen copiosissime de re tradidit Julius Pollux, lib. II, segm. 177, 178, 179: Νῶτα τοίνυν ὑπ' αὐχένι κείμενα, τὸ μὲν ἔγκυρτον, χελώνιον ὀνομάζεται, τὰ δὲ ἑκατέρωθεν ὠμοπλατῶν, πτερύγια· ὧν τὰ μὲν πλάγια, μεταυχένια, τὸ δὲ μέσον τούτων καὶ τῶν νώτων, μετάφρενον, περιεχουσῶν αὐτὸ τῶν ὠμοπλατῶν· ὧν τὰ περὶ νῶτα πλατυνόμενα τράπεζαι καλοῦνται, τὸ δὲ ὑπ' αὐταῖς, ῥάχις· ἧς τὸ μέσον κατὰ μῆκος ἄχρις ὀσφύος ἐν τῷ νώτῳ καιλαινόμενον, κρίσις· καὶ ταύτης τὸ καταλῆγον, ἀντίστερνον· τὸ δὲ ἀπὸ τῆς ῥάχεως, ὀσφῦς, τὸ ἄχρι γλουτῶν· — ἑπτακαίδεκα δέ εἰσιν οἱ σφόνδυλοι οἱ τὴν ὅλην συγκαμπὴν τῇ ῥάχει παρέ-

χοντες, δύο μὲν καὶ δέκα ῥάχεως, οὓς ὀνομάζουσι ῥάχεις, πέντε δὲ ὀσφύος· — τὴν δὲ ὀσφῦν καὶ πρότμησιν ἐκάλουν, ἧς ἐνοπονδύλια μὲν τὰ ὀστᾶ. Origine quin eadem sit vox atque *ψύα*, non dubito. Circumspiciamus usum scriptorum imprimis huc pertinentium; et primum quidem eorum, qui pedestri oratione usi sunt. Loco Herodoteo supra exscripto verbis *ὀσφῦς ἄκρη* significatur ***integra ea corporis taurini pars, quae ibi incipit, ubi κοιλία desinit, et ibi desinit, ubi σκέλος incipit***; «integra,» inquam, neque enim de solis ossibus cogitandum esse, postrema verba luculente docent. Apud Xenophontem, de re equestri I, 12, equi *ὀσφῦς* commemoratur his verbis: *Ὀσφῦς γε μὴν ὅσῳ ἂν πλατυτέρα καὶ βραχυτέρα ᾖ, τοσοῦτο ῥᾷον μὲν ὁ ἵππος τὰ πρόσθεν αἴρεται, ῥᾷον δὲ τὰ ὄπισθεν ἠροσάγεται.* Recensentur juxta hanc corporis equini partem *ἀκρωμία, πλευρά, κενεών, ἰσχία, μηροί, ὄρχεις*, ita quidem, ut *ὀσφύος* commemoratio tertio loco fiat *). Ergo cogitandum est ***de extrema dorsi parte***, sed dubitari potest, utrum de ***integro dorso*** an de ***sola spina***, quae posterior sententia videtur Pollucis fuisse, ea, quae sunt lib. I, segm. 211, ex loco Xenophontis mutuati. Aristoteles, teste Plutarcho de plac. philos. V, 17, tradiderat, fieri *πρῶτον τὴν ὀσφῦν, ὡς τρόπιν νεώς*, quibus in verbis, ut ex comparatione, quae inest, apparet, *ὀσφῦν* rectius interpretabimur ***spinam osseam***; atque eadem ipsa interpretatio commendabitur adhibitis loco Isidori, qui est Orig. XI, 1: «sacra spina est ima perpetuae spinae, quam Graeci *ἱερὸν ὀστοῦν* vocant quoniam primum infante concepto nascitur etc.,» et, aptius etiam, verbis, quae reperiuntur in priore glossa Etymologici Magni, hisce: *ἡ ὀσφῦς πρώτη φύεται τῶν ζώων, ἤγουν τῶν ἱερείων*, et quadamtenus etiam Varronis apud Gellium III, 10 hisce: «post deinde quarta hebdomade, quod ejus virile secus futurum est, caput et spinam, quae est in dorso, informatur;»

---

*) *Ὀσφῦν τὴν διπλῆν* non commemorari apud Xenophontem l. c. §. 11, id quod J. G. Schneiderus et plures alii sibi persuaserunt, facile est demonstratu. Nec video omnino, quo jure Papius in Lex. s. v. *Ὀσφῦς* ad hunc locum provocans *ὀσφῦν διπλῆν* interpretetur «die oberhalb der Hüften vorstehenden fleischigen Theile am Ende des Rückens, die Hanke.» Rectissime de spina duplici egit Heynius ad Virgilii Georg. III, 87.

videtur enim loco Aristotelis *ὀσφῦς* significare potius «perpetuam spinam» quam «imam perpetuae spinae,» ut apud Cyrillum idem valere traditur, quod *ῥάχις;* et, eandem fere vim esse vocabuli in glossa Etymologici Magni, is contendat oportet, qui sibi persuaserit, eum, qui singulas illius partes compilavit, intellexisse, quid significarent ea, quae congerebat; Varronem denique spinam significasse perpetuam, res certa est. Contra apud Lucianum, Lexiphan. Cap. VIII: *ἄλλος ἐῤῥίκνοῦτο σὺν γέλωτι τὴν ὀσφῦν*, quem unum locum e serioribus scriptis attulisse satis habeo, vocabulum *ὀσφῦς* per se solum positum est de ***extrema dorsi parte*** et de ***clunibus***, ut apud grammaticos vocabula *ῥικνοῦσθαι* et *διαῤῥικνοῦσθαι* explicantes, quos citavit Schneiderus libro, qui inscribitur «Das Attische Theaterwesen,» p. 234. Ad poetas jam nos convertentes locum Aeschylium, cujus in gratiam haec omnia disputamus, ad tempus primoribus tantum, ut ajunt, labris attingemus. Si vera esset vocabuli *κῶλα* interpretatio, quae reperitur in Scholiis: *τὰ τῶν μηρῶν ὀστᾶ, μηρία, μηριαῖα ὀστᾶ*, et si constaret, diis non esse oblata nisi ossa carnibus nudata, certum esset, vocabulum *ὀσφῦς* hoc loco de sola spina esse intelligendum. At prius illud ut sumamus, linguae usus haudquaquam postulat, alterum hoc ita esse, recte negaverunt Heynius, J. G. Schneiderus, Godofredus Hermannus, et nuperrime falso sumptum esse accuratissime omnium demonstravit B. G. Weiskius libro, quem inscripsit «Prometheus und sein Mythenkreis,» p. 247 sqq. Praeterea apud Aristophanem reperitur vocabulum, et ter quidem, Pacis Vs. 1053 de ove usurpatum, Vesparum Vs. 225:

ἔχουσι γὰῤ καὶ κέντρον ἐκ τῆς ὀσφύος,

de hominibus iisdem vespis, Amphiarai fragmento, quod exstat apud Aelianum de N. A. XII, 9, cfr. Meinekii Fragm. Com. Graec. Vol. II. P. II. p. 955:

Ὀσφῦν δ' ἐξ ἄκρων διακίγκλισον ἠΰτε κίγκλου
ἀνδρὸς πρεσβύτου· τελέει δ' ἀγαθὴν ἐπαοιδήν,

de ave, quae *κίγκλος* appellabatur, simul atque de homine. Pacis fabulae locum, qui est inde a Vs. 1020 usque ad Vs. 1055, si quis integrum perlegerit paullo attentius, mihi adsentietur, opinor, ex mente poetae *τὴν ὀσφῦν* vel idem esse quod *τὰ μηρία* sive *τὼ μηρώ*, vel saltem illam corporis par-

tem tam arcte cohaerere cum hac, ut illa appellata simul etiam haec sit adsignificata, et porro, eandem rationem intercedere inter *τὴν κέρκον* et inter *τὴν ὀσφῦν*. Ceterum, neque hoc loco *τὴν ὀσφῦν* merum os esse, facile elucet. Vesparum loco vocabulum apte aliquis interpretetur ***dorsum extremum***, ***nates***, ***clunes***. In fragmento Amphiarai vocabuli usus idem est; per se intelligitur, de ave dictum etiam caudam significare. Restat locus Menandri, quem supra exscriptum dedimus. Hoc loco quamquam eadem prorsus locutio est atque loco Herodoteo, haudquaquam tamen eandem esse rem significatam, in propatulo est situm. Contra eam explicationem, quam supra deprehendimus in Etymologico Magno, primo obtutu nihil, quod quidem firmum sit, videtur dici posse. Sed accuratius consideranti nescio an jure dubitatio oriatur, an omnino apta non sit. Certe quum paullo post *ὀστᾶ ἄβρωτα* commemorentur, *ἱερὸν* autem *ὀστοῦν* et ipsum sit *ὀστοῦν*, sacrum os speciose aliquis dixerit minus apte hoc loco recenseri. Hoc certum est, exstare etiam alteram rationem, qua quis illa verba explicare possit aptissime, eamque analogia, quam alius quidam locus comici poetae jam pridem in comparationem vocatus praebet, admodum commendatam. In Eubuli enim fragmento, quod itidem a Clemente l. c. exhibitum est et nunc a Meinekio repraesentatum Fragm. Comic. Graec. Vol. III, p. 270, haec leguntur:

αὐτοῖς δὲ τοῖς θεοῖσι τὴν κέρκον μόνην
καὶ μηρὸν ὥσπερ παιδεραστοῖς θύετε,

secundum quae verba ego censeo, loco Menandri *ὀσφῦν ἄκραν* nihil esse nisi *κέρκον*, contra quam Vossius, qui l. c. p. 373 voce *κέρκον* spinam sive os sacrum significari opinabatur. Quod si verum est, non opus erit statuere, vocem *ὀσφῦν* per se solam Menandro aliud quid fuisse quam ***dorsi extremam partem*** et ***nates***. Ex iis locis, in quos adhuc inquisivimus, apparet, vim et usum vocabuli *ὀσφῦς* vario modo inflecti, ut plurimum tamen id ***non sola ossa*** significare, sed ***simul etiam adjacentes carnes***. Apposite Weiskius l. c. p. 245 de sacrorum ritu, qualis temporibus Homeri fuerit, etiam postea perdurante verba faciens «Nur tritt,» ait, «einige Dunkelheit ein wegen der Verschiedenheit eines *dreifachen* Sprachgebrauchs, nämlich des alten ***heiligen***, des ***gemeinen***, der zugleich meist

der dichterische ist, und des *anatomischen* in Hinsicht der Namen der den Göttern zu weihenden Theile. Besonders wichtig zur Erklärung und Widerlegung irriger Ansichten ist der Umstand, dass mehrere Worte bald vom Knochen, bald zugleich von den anliegenden Fleischtheilen gebraucht werden,» et, adnotatione 4: «Die unwissenschaftliche Sprache,» inquit, «bezeichnet ganze *Regionen* mit einem Worte. Wie *μηροί*, so unbestimmt *ἰσχία*, Hüften und nates, *ὀσφύς*, Kreuzbein mit oder ohne Hanken und Lenden. So *κῶλα*, *σκέλη* u. s. w.» Contra *ἱερὸν ὀστοῦν* non significat nisi *merum os*. De quorum vi vocabulorum et relatione ad vocem *ὀσφῦς* praeter ea, quae jam supra allegata sunt, dignum etiam est, quod consulatur, schol. ad Theocriti Id. VI, 30: *Ἰσχία δὲ τὰ ὑπὸ τὴν ὀσφῦν ἐξ ἑκατέρων τῶν μερῶν ὀστᾶ, ἐν οἷς ἀπόκειται τὸ ἱερὸν οστοῦν.* Accuratissime vero etiam de sacro ore egit Pollux, post illa, quae supra ad illustrandum vocabulum *ὀσφῦς* typis excudenda curavimus, ita pergens segm. 182 et 183: *ἵνα δὲ οἱ σφόνδυλοι καταλήγουσιν, ἱερὸν ὀστοῦν καλεῖται· καὶ ἄρχεται μὲν ἐξ εὐρύτητος ὑπὸ τὴν ῥάχιν, ὑποστενοῦται δὲ κατὰ τὴν κόκκυγα καλούμενον, ὃς καὶ σφονδύλιον καὶ ὀρρόπύγιον ὀνομάζεται· οὗ τὸ ὑπεράνω, ὀσφῦς — τισὶ δὲ καὶ τὸ ἱερὸν ὀστοῦν ὁ τρητὸς κόκκυξ καλεῖται· καί ἐστι πάντων μέγιστον.* — Jam ut redeat, unde digressa est, oratio, est ergo hujus locutionis ad illam haec relatio, ut, quamvis *ἱερὸν ὀστοῦν* apud technicos accuratius loquentes discernatur ab ea, quam *ὀσφῦν* vocant, tamen apud scriptores usum quotidianum sequentes vocabulum *ὀσφῦς* ut plurimum significet *totum* quid, cujus *pars* quaedam ex mero osse constans est *ἱερὸν ὀστοῦν*. Quod vero ad auctorem Etymologici Magni attinet sacrum os magnum esse tradentis, videri quidem potest haec notitia ex falsa interpretatione vocis *ἱερὸν* fluxisse, — vera enim procul dubio ea locutionis *ἱερὸν ὀστοῦν* explicatio est, quam idem grammaticus attulit his verbis: *ὅτι ἱερουργεῖται τοῖς θεοῖς*, — sed claris verbis idem fere testatus est Pollux, et docuit me vir naturalis historiae admodum peritus, revera sacrum os satis bene magnum vocari posse. His disputatis satis videtur cautum esse, ne quis apud Aeschylum pro *καὶ μακρὰν ὀσφῦν* scribendum esse *χἄμ' ἄκραν ὀσφῦν* in animum sibi inducat. Non nego equidem, scrbii

posse: *ἄκραν ὀσφῦν*, et tamen scriptum fuisse *μακρὰν ὀσφῦν*, ajo atque contendo codicum auctoritate nixus. Quippe utraque locutio hoc loco eundem prorsus sensum fundit. Etenim quia de sacris et de aruspicina sermo est et quia juxta commemorantur coxae et lumbi et crura — haec enim significantur voce *κῶλα*, — probabile est, iis, de quibus loquimur, verbis *spinam sacram et carnes adjacentes simul cum cauda* commemorari. Atque hae res quin ab hoc quidem scriptore hoc loco aeque bene *μακρὰ ὀσφῦς* appellari potuerint atque *ἄκρα ὀσφῦς*, jam nemo unus, opinor, dubitabit. —

IX.

Emendatur Vs. 509 et Vs. 510.

Οὐ ταῦτα ταύτῃ μοῖρά πω τελεσφόρος
κρᾶναι πέπρωται.

Sermo est de solutione Promethei et de potentia, quae ei in posterum futura sit. Haec verba, quae sic constructa nemini offensioni fuisse nisi Schneidero, mira sane res est, ita interpretatus est Schuetzius: «***Non sane haec ita Parcam perficere constitutum s. fato decretum est***, ut nominativus cum infinitivo et verbo passivo constructus accusativi cum infinitivo vicem expleat;» Bellmannus autem sic cepit p. 31: «*οὔπω Μοῖρα πέπρωται τελεσφόρος* = ***nondum Parca constituta est tanquam ad finem perducens***: ut inf. *κρᾶναι* ad dilatandam sit *τοῦ τελεσφόρος* notionem = ***quae sic haec perficiat.***» Schneiderus contra post *τελεσφόρος* gravius interpunxit et priorem verborum partem ita explicavit: «noch ist dieses auf diese Weise das Schicksal nicht vollziehend, d. i. noch lässt meine Befreiung durch Versuche von meiner Seite das Schicksal nicht gelingen,» alteram ita: «die Befreiung zu bewirken ist vom Schicksal bestimmt.» Sed verba corrupta esse, nisi ex ipsis satis eluceret, veteris scholii accuratior consideratio docere posset; quod qui composuit, eum plane aliud quid prae oculis habuisse, luce clarius est. Sunt autem ejus verba haecce: *οὐ ταῦτα οὕτως πέπρωται, ἵνα ἡ τελεσφόρος μοῖρα ταχέως τὸ κατ' ἐμὲ κράνῃ καὶ πληρώσῃ.* Apparet, primum, scholiastam non legisse particulam *πω*, deinde, legisse eum

aliquam conjunctionem finalem et pro infinitivo *κρᾶναι* conjunctivum ex conjunctione illa pendentem. Habebat ille procul dubio hoc prae oculis:

οὐ ταῦτα ταύτῃ, Μοῖρ' ὅπως τελεσφόρος
κράνῃ, πέπρωται.

Et sic legendum. Quid *τελεσφόρον κραίνειν* valeat, scholiastes haud inepte vocabulo *ταχέως* significat. Non opus esse *τελεσφόρως* scribere, vix est quod moneam; sed ne quis putet, ad hoc ducere *τελεσφόρων* illud, quod in editione Aldina est, reputare jubeo, quot mendis typographicis haec sit inquinata. In codice Vindob. B. est *μοίρᾳ πω τελεσφόρῳ*, quod ipsum, credere aliquis primo obtutu possit, veteri scholiastae lectum fuisse. Sed injuria. Non reperiebat ille profecto scriptum *οὐ–πω*, quod nec ferri ullo modo potest. Est illa docti alicujus librarii emendatio vulgatam scripturam nihili esse intelligentis. —

X.

Profertur conjectura in Vs. 683.

Ἀπροσδόκητος δ' αὐτὸν αἰφνίδιος μόρος
τοῦ ζῆν ἀπεστέρησεν.

Sermo est de Argo. Priori versu quum vocabulum *αἰφνίδιος* synizesi vix ac ne vix quidem excusetur, sed procul dubio de mendo postulandum sit, facillima quidem est conjectura Elmsleji *ἀφνίδιος* scribi jubentis, in quam etiam me memini, quum primum ad hunc locum animum adverti, incidere, at dubia tamen. Etenim quum non solum vetus scholiastes in explicatione hujus loci habeat adverbium *ἐξαίφνης*, sed idem vocabulum etiam in libro Arundeliano supra scriptum sit, jure aliquis suspicetur, adverbium aliquod eodem significatu praeditum, quo *ἐξαίφνης*, sed minus usitatum notumque in libris fuisse. Jam constat, exstitisse formam adverbii *αἰφνηδόν*, sed, eam Alexandrinorum fuisse, Lobeckius monuit ad Phrynich. p. 19. Propius etiam ad codicum mscr. scripturam accedit apud Hesychium obvia illa: *ἀφνιδία*, quod vocabulum quominus admittatur, nihil obstare videtur. Sed proxima omnium est forma *αἰφνηδίς*, solummodo ea, ut altera illa,

e scriptis Grammaticorum nota, vid. Johannis Alex. *Περὶ παρ.* p. 39, 30 et Bekkeri anecd. p. 1310. Hanc igitur positam fuisse ab hoc poeta conjectura est facillima et probabilissima, quamquam non *omnino* certa. Forma *αἴφνης* usus est Euripides Iphig. Aulid. Vs. 1581 Matth. —

XI.

Persanatur Vs. 852. In transcursu explicatur Supplicum Vs. 310.

Ἐνταῦθα δή σε Ζεὺς τίθησιν ἔμφρονα 850
ἐπαφῶν ἀταρβεῖ χειρὶ καὶ θιγὼν μόνον.
Ἐπώνυμον δὲ τῶν Διὸς γεννημάτων
τέξεις κελαινὸν Ἔπαφον· ὃς καρπώσεται
ὅσην πλατύῤῥους Νεῖλος ἀρδεύει χθόνα.

Verba sunt Promethei ad Ionem conversi. Vocabulum *γεννημάτων* quum in editionibus Brunckii et Schuetzii voci *θιγγημάτων* a Peyraredo de conjectura per se parum probabili repositae cessisset, Wunderlichius observat. in Aeschylum p. 148 sqq. et Wellauerus adnot. ad h. l. ita conati sunt defendere, ut *γέννημα generationem* significare statuerent et contrectationem eandem generationem fuisse monerent. Sed ita nimis abrupte et obscure locutus esset poeta. Illud ipsum, fore contrectationem eandem generationem, quin certe aliquo modo significatum sit hoc loco, dubium esse non potest. Et concessit ipse Wunderlichius brevius et negligentius locutum esse Aeschylum, sed hoc licuisse ei, quum res omnibus nota fuisset, contendit, monens, eandem ipsam dicendi rationem esse loco gemello, qui est Supplicum Vs. 310. Omnes quum dixit vir doctus, haud dubie eos, qui spectabant, intellexit. Male quidem. Nostro loco Ioni et Choro nihildum notum est; vaticinatur Prometheus de rebus, quae futurae sint, quod ut claris et perspicuis verbis faceret oportebat. Aliter res se habet Supplicum loco. Quo si Chorus brevius et obscurius locutus est ut de re in universum nota, minime sequitur, idem ut Prometheo licuerit prorsus alia in caussa versanti. Sed inquiramus accuratius, num Aeschylus revera brevius et negligentius locutus sit loco Supplicum. Orationis, qua de rebus Ionis exponitur, perpetuitas haec est:

ΒΑΣΙΛΕΥΣ.

Καὶ μὴν Κάνωβον κἀπὶ Μέμφιν ἵκετο;

ΧΟΡΟΣ.

Καὶ Ζεύς γ' ἐφάπτωρ χειρὶ φιτύει γόνον.

ΒΑΣΙΛΕΥΣ.

Τί οὖν; ὁ Διὸς πόρτις εὔγεται βοός;

ΧΟΡΟΣ.

Ἔπαφος ἀληθῶς ῥυσίων ἐπώνυμος.

Postremo versu, qui est 310, omnes, quod ego sciam, vocem *ῥύσια* intellexerunt ***de eo, quod Juppiter Ionem manus contrectatione a furore liberaverat.*** Quod si fit, jure poetae nimia brevitas et negligentia dari crimini potest. Sed non dubito, quin illa vox aliter explicanda sit. De furore in iis, quae praecedunt, expressis quidem verbis, sermo omnino non fuerat. Contra jam Vs. 296 et 297 narratum erat, Jovem sub forma tauri rem habuisse cum Ione in vaccam mutata. Non est dubium, quin hic coitus non irritus fuerit; conceperat Io haud dubie et per longum tempus infantem utero tulerat, donec tandem post adventum in Aegyptum Jovis illa contrectatione enixa est. Ex hac interpretatione *Ζεὺς ἐφάπτωρ χειρὶ* non demum gravidam reddit Ionem, sed partum solvit, et verbum *φιτύει* sensu latiori dictum est. Eodem modo rem et informavit sibi et vero expressit Ovidius, qui, postquam Metamorph. l. I, Vs. 600 de concubitu multo prius locum habente significavit et ad postremum de Ionis in Aegyptum adventu locutus est, sic pergit Vs. 749 sq.:

Hinc Epaphus magni genitus de semine *tandem*
creditur esse Jovis.

Neque aliter Aeschylus videtur tum statuisse, quum Prometheum Vinctum composuit, cujus fabulae loco, qui legitur inde a Vs. 666, quod apertis quidem verbis nulla mentio fit coitus, qui eo tempore fuerat, de quo ibi sermo est, facile condonatur Ioni de semet ipsa loquenti. Quae si vera est sententia, apparet, vocabulum *ῥύσια* potius de eo esse capiendum, ***quod Juppiter manus contrectatione Ionem onere liberaverat***, nisi forte quis mavult de Epaphi liberatione ex vinculis, quibus quasi tenebatur in utero degens, intelligere. Haec hactenus. Jam ut ad locum Promethei redeamus, fit illud, quod supra

postulavimus, quodammodo, si mira explicandi ratio accipitur, quae Schneidero in mentem venit, vocem *γεννημάτων* cum vocabulo *κελαινὸν* construendam esse docenti, ita ut vocabulum *ἐπώνυμον* ad vocem *ἐπαφῶν* referretur et Epaphus diceretur is esse inter liberos Jovis, qui niger esset. Quod ne quis faciat, verendum non est. Locus corruptus haud dubie sic scribendus:

Ἐπώνυμον δὲ τῶν Διὸς γέννημ' ἀφῶν
τέξεις, κελαινὸν Ἔπαφον, ὃς καρπώσεται etc.

Vocabulum *ἀφὴ* etiam apud Sophoclem, Ajac. Vs. 631, reponi posse, significavit Lobeckius Paralipom. Gramm. Gr. p. 558. —

XII.

Agitur de Vs. 1015.

Ἀὐθαδία γὰρ τῷ φρονοῦντι μὴ καλῶς
αὐτὴ καθ' αὑτὴν οὐδενὸς μεῖζον σθένει.

Haec verba quum alii in vitio esse sibi persuasissent *μεῖον* pro *μεῖζον* rescribendum essé censentes, alii conati sunt interpretando servare. Frustra. Recte enim G. Hermannus Halmii, qui et ipse in «Lectionum Aeschylearum Particula» a. 1835 in lucem emissa vulgatae scribendi rationis patrocinium susceperat, censorem agens in diariis scholast. Zimmermanni, 1835, p. 1115 monuit, verba *οὐδενὸς μεῖζον σθένει* significare: ***validior est nihilo***, sensum autem postulare, ut poetam dixisse statueremus, superbiam ***infirmiorem*** esse nihilo. Vel sic tamen non est opus, vocem *μεῖζον* mutare in *μεῖον*, modo interrogationis signum, non punctum majus, collocetur in fine versus. —

II.

ADVERSARIA

IN

ARISTOPHANIS AVES

A

GUILIELMO DINDORFIO EDITAM

LIPSIAE A. MDCCCXXX.

I.

Paratur aditus ad ea, quae Cap. II et III disputabuntur. Agitur de Vs. 215. Inquiritur, *παρεπιγραφή*, quae est post V. 222, utrum ex mente poetae posita sit, an minus. Disputantur nonnulla de ratione cantici ab Upupa cantati, quod legitur inde a Vs. 227. Profertur conjectura de Vs. 247.

Vs. 202 sqq. Upupa, de avibus verba faciens, has se facili opera convocaturam esse, affirmat his verbis:

δευρὶ γὰρ ἐμβὰς αὐτίκα μάλ' ἐς τὴν λόχμην,
ἔπειτ' ἀνεγείρας τὴν ἐμὴν ἀηδόνα,
καλοῦμεν αὐτούς· οἱ δὲ νῷν τοῦ φθέγματος
ἐάν περ ἐπακούσωσι, θεύσονται δρόμῳ.

Excitat autem Upupa suam lusciniam et ad canendum adhortatur haec cantans:

ἄγε σύννομέ μοι, παῦσαι μὲν ὕπνου,
λῦσον δὲ νόμους ἱερῶν ὕμνων,
οὓς διὰ θείου στόματος θρηνεῖς,
τὸν ἐμὸν καὶ σὸν πολύδακρυν Ἴτυν
ἐλελιζομένη διεροῖς μέλεσιν
γένυος ξουθῆς·
καθαρὰ χωρεῖ διὰ φυλλοκόμου
μίλακος ἠχὼ πρὸς Διὸς ἕδρας,
ἵν' ὁ χρυσοκόμας Φοῖβος ἀκούων,
τοῖς σοῖς ἐλέγοις ἀντιψάλλων
ἐλεφαντόδετον φόρμιγγα, θεῶν
ἵστησι χορούς·
διὰ δ' ἀθανάτων στομάτων χωρεῖ
ξύμφωνος ὁμοῦ
θεία μακάρων ὀλολυγή.

Esse enim cantando prolatos hos anapaestos demonstrant verba, quae sunt Vs. 226:

οὔπω μελῳδεῖν αὖ παρασκευάζεται.

Quibus in anapaestis num verba *καθαρὰ χωρεῖ* etc. revera sint a poeta *ἀσυνδετῶς* subjecta iis, quae praecedunt, penes eos judicium esto, qui tam felices sint, ut, asyndeton apud poetas scenicos ubi aptum sit, ubi non sit, se certo scire, sibi persuaserint. Ex meo quidem sensu hoc loco aptum non est; idemque illud certo scio facillime sublatum iri loco hunc in modum mutato:

— γένυος ξουθῆς,
καθαρὰν χωρεῖν διὰ φυλλοκόμου
μίλακος ἠχὼ πρὸς Διὸς ἕδρας·
ἵν' —

h. e. *ὥστε χωρεῖν καθαρὰν ἠχώ* etc.

Post Vs. 222 in codd. mscr. et nunc reperitur et jam a scholiasta inventa est *παρεπιγραφή*: *αὐλεῖ τις* vel *αὐλεῖ*. Haud inepte, per se quidem, nam lusciniarum cantus optime poterat tibia canendo reddi et Vs. 682 sq. Procne, postquam habitu tibicinae scenam ingressa est, id quod infra demonstrabimus accuratius, quam adhuc factum est, appellatur his verbis:

ὦ καλλιβόαν κρέκουσ'
αὐλὸν φθέγμασιν ἠρινοῖς.

Sed quaeritur, sitne probabile, Procnen jam illo loco cecinisse. Mihi quidem secus videtur statuendum esse. Non postulare illud Pisthetaeri verba exclamantis:

ὦ Ζεῦ βασιλεῦ, τοῦ φθέγματας τοὐρνιθίου:
οἷον κατεμελίτωσε τὴν λόχμην ὅλην,

quae recitantur Vs. 223 et 224, in propatulo est situm, quidni enim ad cantum Upupae locum arboribus (iisque taxis, ut apparet ex Vs. 216) densum ingressae post Vs. 208 spectare possint? Praeterea neque opus est, ut jam nunc cantum edat luscinia, et, nunc eam nondum cecinisse, ex Vs. 204 probabile fit. Hoc enim loco quum Upupa dicit *καλοῦμεν*, non se solam intelligit, ut scholiastes arbitratur, sed se simul et lusciniam. Jam vero quia Upupa non advocat aves prius quam canticum canit, quod incipit a Vs. 227, consentaneum est, ut nec luscinia prius canere inceperit, quum praesertim participem fuisse illius cantici tantum non certum sit. Ergo probabile est, *παρεπιγραφὴν* non ex mente poetae positam esse ab eo, qui posuerit, grammatico.

Expergefacta luscinia convocantur aves. Verba haec sunt:

ἐποποποποποποποποποποῖ,
ἰὼ ἰὼ ἰτὼ ἰτὼ ἰτὼ ἰτὼ
ἴτω τις ὧδε τῶν ἐμῶν ὁμοπτέρων·
ὅσοι τ' εὐσπόρους ἀγροίκων γύας
νέμεσθε, φῦλα μυρία κριθοτράγων
σπερμολόγων γένη
ταχὺ πετόμενα, μαλθακὴν ἱέντα γῆρυν·
ὅσα τ' ἐν ἄλοκι θαμὰ
βῶλον ἀμφιτιτυβίζεθ' ὧδε λεπτὸν
ἡδομένᾳ φωνᾷ·
τιὸ τιὸ τιὸ τιὸ τιὸ τιὸ τιὸ τιό·
ὅσα θ' ὑμῶν κατὰ κήπους ἐπὶ κισσοῦ
κλάδεσι νομὸν ἔχει·
τά τε κατ' ὄρεα, τά τε κοτινοτράγα, τά τε κομαροφάγα,
ἀνύσατε πετόμενα πρὸς ἐμὰν ἀοιδάν·
τριοτὸ τριοτὸ τοτοβρίξ·
οἵ θ' ἑλείας παρ' αὐλῶνας ὀξυστόμους
ἐμπίδας κάπτεθ', ὅσα τ' εὐδρόσους γῆς τόπους
ἔχετε λειμωνά τ' ἐρόεντα Μαραθῶνος,
ὄρνις τε πτεροποίκιλος
ἀτταγᾶς ἀτταγᾶς·
ὧν τ' ἐπὶ πόντιον οἶδμα θαλάσσης
φῦλα μιετ' ἀλκυόνεσσι ποτᾶται,
δεῦρ' ἴτε πευσόμενοι τὰ νεώτερα,
πάντα γὰρ ἐνθάδε φῦλ' ἀθροίζομεν
οἰωνῶν ταναοδείρων.
ἥκει γάρ τις δριμὺς πρέσβυς,
καινὸς γνώμην,
καινῶν ἔργων τ' ἐγχειρητής.
ἀλλ' ἴτ' ἐς λόγους ἅπαντα,
δεῦρο δεῦρο δεῦρο δεῦρο.
τοροτοροτοροτοροτορότίξ.
κικκαβᾶ κικκαβᾶ.
τοροτοροτοροτοροτορολιλιλίξ.

Esse hoc carmen tibia adspirante cantatum, jam per se probabile est. Apertius etiam tibiae cantum prodere videntur eae, quae insunt, voces ad alliciendas aves imprimis aptae, non illae ad Graecam, sed, ut hoc utar, ad avium linguam pertinentes. Quaeritur tantummodo, hae utrum lusciniae solius

sint, sive, quod idem est, sola tibia expressae, an ab Upupa cantando expressae concinente luscinia sive tibia adpirante. Similiter quaeri potest, sintne eaedem vel similes voces, quae infra in duobus reperiuntur carminibus, quorum prius a Vs. 737 incipit, alterum a Vs. 769, ab iis, quae canunt, avibus et a luscinia prolatae, an a sola luscinia. Qui primum nostri cantici versum ad rem profligandam adhibuerit et simul loci, qui est supra Vs. 57 sq., meminerit, ubi Pisthetaerus sic alloquitur Euelpidem:

τί λέγεις οὗτος; τὸν ἔποπα παῖ καλεῖς;
οὐκ ἀντὶ τοῦ παιδός γ' ἐχρῆν ἐποποῖ καλεῖν;

ejus nescio an animus inclinaturus sit, ut credat, illum etiam ab Upupa pronuntiatum esse. Quin, si infra, Vs. 267, Phoenicopterum deprehenderit vocantem:

τοροτὶξ τοροτίξ,

fortassis hanc sententiam certissimam esse affirmaturus sit. Sed elucebit ex iis, quae paullo infra disputabimus, hunc locum tantum abesse ut illam fulciat sententiam, ut alteri firmissimo sit praesidio. Illud autem *ἐποποποποποποποποῖ* apparet potuisse et tibia exprimi, et apte tribui etiam lusciniae, quippe Upupae uxori; vice versa infra alteram upupam tibicinem cognoscemus. Non dubito equidem, quin omnes illae avium voces a luscinia sola tibia expressae sint. Quo concesso ultro apparebit, quam apte tibia tam ante ipsum nostrum canticum sonet, quam inter cantandum, quam cantu finito. In duobus autem illis carminibus, quae infra sunt, tam miro modo cantus interrumpitur illis avium vocibus, ut vel ob hanc caussam vix aptum sit, ab iis, qui canunt, simul pronuntiatas credere. Accedit ad hanc rem, quod verba

πάντων ξύννομε τῶν ἐμῶν
ὕμνων ξύντροφ' ἀηδοῖ

et

Μοῦσα λοχμαία,
ποικίλη, μεθ' ἧς ἔγω
νάπαισι καὶ κορυφαῖς ἐν ὀρείαις,
ἱζόμενος μελίας ἐπὶ φυλλοκόμου,
δι' ἐμῆς γενύος ξουθῆς μελέων
Πανὶ νόμους ἱεροὺς ἀναφαίνω,

quibus appellatur a choro avium luscinia Vs. 678 sq. et 737 sqq.,

eo ducunt, ut hujus vocem inter cantum illius auditam esse sumamus.

Versu 248 quum videret particulam τε omitti in cod. Rav., Ven., Florentino et metrum, quod inde a verbis οἵ ϑ' ἑλείας ex creticis constat, corrumpi censeret Alfredus Fleckeisenius, Helmstadiensis, societatis philologicae olim sodalis, proposuit scribendum: ὄρνις πτερυγοποίκιλος. Existimavi, hanc conjecturam veram esse posse, sed particulam τε, explicando illam inservientem, ut Eumenidum Vs. 11 et pluribus aliis locis, monui tam a lingua quam a sensu flagitari; si quis statueret poetam scripsisse: ὄρνις πτερυγοποίκιλός τ', etiam illud facillime intelligi, quomodo factum esset, ut particula τε loco minus solito posita a nonnullis librariis omitteretur omnino, ab aliis ea collocaretur sede, quae ipsis magis esse idonea videretur. —

II.

De musicis.

Carmine, quo convocantur, finito crediderit aliquis, aves cito advolasse et chori parodum factam esse. At neutrum evenit, statim quidem. Videamus, quae subinde scripta reperiantur:

ΠΕΙΣΘΕΤΑΙΡΟΣ.

Ὁρᾷς τιν' ὄρνιν;

ΕΥΕΛΠΙΔΗΣ.

μὰ τὸν Ἀπόλλω γὼ μὲν οὔ·
Καί τοι κέχηνά γ' εἰς τὸν οὐρανὸν βλέπων.

ΠΕΙΣΘΕΤΑΙΡΟΣ.

Ἄλλως ἄρ' οὔποψ ὡς ἔοικ' εἰς τὴν λόχμην 265
ἐμβὰς ἐπῶζε, χαραδριὸν μιμούμενος.

ΦΟΙΝΙΚΟΠΤΕΡΟΣ.

Τοροτὶξ τοροτίξ.

ΠΕΙΣΘΕΤΑΙΡΟΣ.

Ὤγάϑ', ἀλλ' οὖν οὗτοοὶ καὶ δή τις ὄρνις ἔρχεται.

ΕΥΕΛΠΙΔΗΣ.

Νὴ Δί' ὄρνις δῆτα. Τίς ποτ' ἐστίν; Οὐ δήπου ταῶς;

ΠΕΙΣΘΕΤΑΙΡΟΣ.

Οὗτος αὐτὸς νῷν φράσει· τίς ἐστιν ὄρνις οὑτοσί;

ΕΠΟΨ.

Οὗτος οὐ τῶν ἠθάδων τῶνδ' ὧν ὁρᾶθ' ὑμεῖς ἀεί,
ἀλλὰ λιμναῖος.

ΠΕΙΣΘΕΤΑΙΡΟΣ.

Βαβαί, καλός γε καὶ φοινικιοῦς.

ΕΠΟΨ.

Εἰκότως· καὶ γὰρ ὄνομ' αὐτῷ γ' ἐστὶ φοινικόπτερος.

ΕΥΕΛΠΙΔΗΣ.

Οὗτος, ὦ σέ τοι.

ΠΕΙΣΘΕΤΑΙΡΟΣ.

Τί βωστρεῖς;

ΕΥΕΛΠΙΔΗΣ.

Ἕτερος ὄρνις οὑτοσί.

ΠΕΙΣΘΕΤΑΙΡΟΣ.

Νὴ Δί' ἕτερος δῆτα χοὗτος ἕξεδρον χώραν ἔχων.
Τίς ποτ' ἔσθ' ὁ μουσόμαντις, ἄτοπος ὄρνις, ὀριβάτης;

ΕΠΟΨ.

Ὄνομα τούτῳ Μῆδός ἐστι.

ΠΕΙΣΘΕΤΑΙΡΟΣ.

Μῆδος; ὦναξ Ἡράκλεις·
εἶτα πῶς ἄνευ καμήλου Μῆδος ὢν εἰςέπτατο;

ΕΥΕΛΠΙΔΗΣ.

Ἕτερος αὖ λόφον κατειληφώς τις ὄρνις οὑτοσί.

ΠΕΙΣΘΕΤΑΙΡΟΣ.

Τί τὸ τέρας τουτί ποτ' ἐστίν; Οὐ σὺ μόνος ἆρ' ἦσθ' ἔποψ,
ἀλλὰ χοὗτος ἕτερος;

ΕΠΟΨ.

Ἀλλ' οὗτος μὲν ἔστι Φιλοκλέους
ἐξ ἔποπος, ἐγὼ δὲ τούτου πάππος, ὥςπερ εἰ λέγοις
Ἱππόνικος Καλλίου κἀξ Ἱππονίκου Καλλίας.

ΠΕΙΣΘΕΤΑΙΡΟΣ.

Καλλίας ἆρ' οὗτος οὖρνις ἐστίν· ὡς πτεροῤῥυεῖ.

ΕΠΟΨ.

Ἅτε γὰρ ὢν γενναῖος ὑπὸ τῶν συκοφαντῶν τίλλεται,
αἵ τε θήλειαι προσεκτίλλουσιν αὐτοῦ τὰ πτερά.

ΠΕΙΣΘΕΤΑΙΡΟΣ.

Ὦ Πόσειδον, ἕτερος αὖ τις βαπτὸς ὄρνις οὑτοσί.
Τίς ὀνομάζεταί ποθ' οὗτος;

ΕΠΟΨ.

Οὑτοσὶ κατωφαγᾶς.

ΠΕΙΣΘΕΤΑΙΡΟΣ.

Ἔστι γὰρ κατωφαγᾶς τις ἄλλος ἢ Κλεώνυμος;

ΕΥΕΛΠΙΔΗΣ.

Πῶς ἂν οὖν Κλεώνυμός γ' ὢν οὐκ ἀπέβαλε τὸν λόφον; 290

ΠΕΙΣΘΕΤΑΙΡΟΣ.

Ἀλλὰ μέντοι τίς ποθ' ἡ λόφωσις ἢ τῶν ὀρνέων;
Ἢ 'πὶ τὸν δίαυλον ἦλθον;

ΕΠΟΨ.

Ὥςπερ οἱ Κᾶρες μὲν οὖν
Ἐπὶ λόφων οἰκοῦσιν ὦγάθ' ἀσφαλείας οὕνεκα.

Recensentur doctorum hominum sententiae de quattuor avibus prius quam chorus in conspectum venientibus. In transcursu tractatur locus, qui est Vs. 448 sqq.

Primae adveniunt quattuor aves, eaeque non confestim citove advolantes, non uno agmine, sed singulae et secretae. Advertit haec res jam veterem interpretem ad Vs. 297 haec adnotantem: *ἀπὸ τούτου ἡ καταρίθμησις τῶν εἰς τὸν χορὸν συντεινόντων προσώπων κδ', ἐν περιττῷ ληφθέντων τῶν προκατειλεγμένων.* Nec tamen, cur quattuor illae personae in scenam essent inductae, dedita opera probabiliter expositum est a quoquam. Nihili autem pensitanda est sententia Suevernii prolata in commentatione de Aristophanis Avibus, quae est inter commentationes classis historicae et philologicae regiae academiae scientiarum Berolinensis, a. 1827 recitatas, Berolini a. 1830 publicatas, cujus libri p. 101 haec reperiuntur verba: «die von Vs. 267 bis 293 erscheinenden vier einzelnen Vögel gehören, wie schon von den Scholien bemerkt wird, nicht mit zum Chore, sondern werden als stumme Personen nur vorübergeführt, um die satirischen Bemerkungen, welche bei jedem von ihnen gemacht werden, zu veranlassen.» Quis, quaeso, ut taceam, revera poetam non cujusvis arripere avis commemorationem ad satyram adhibendam, tantam insolentiam in artificiosissima elegantissimi poetae fabula admitti

posse in animum sibi induxerit! Paullo curiosius in illarum rationem avium investigasse Genellius videtur, si ex paucis illis, quae duobus locis noti illius de theatro Atheniensi operis hac de re leviter projecta reperiuntur et in transcursu commemorata, universam ipsius mentem recte divinamus. Genellius enim quum uno loco gallum gallinaceum, quo de Vs. 275 sermo est, imprimis inter aves, quae Vs. 448 *ὁπλῖται* nuncupentur, recensendum esse existimet, videri potest ita statuisse: primum, aves a principio exercitum referre et quattuor illas aves esse gravis armaturae milites, viginti quattuor vero aves postea comparentes, e quibus chorus constat, milites levis armaturae — nisi forte opinatus est, has aves se omnino non accinxisse ad pugnam gerendam —; deinde, illas quattuor aves, quum pugna non visum esset opus, discedere jussas esse Vs. 449. Eundem Genellium, quum altero loco nos edoceat, gravis armaturae aves descendisse de rupe, quae in proscenio fuerit, probabile est censuisse, quattuor illas aves orchestram omnino non esse ingressas. Hae sententiae tam sunt infirmae, ut plus viginti rationibus impugnari possint et everti. Quas, ut chartae parcamus, non afferemus. Sed non erit inutile, breviter attigisse illum locum, ex quo omnes istae hariolationes originem traxisse videntur. Leguntur Vs. 448 sqq. haecce:

Ἀκούετε λεώ· τοὺς ὁπλίτας νυνμενὶ
ἀνελομένους θὤπλ' ἀπιέναι πάλιν οἴκαδε,
σκοπεῖν δ' ὅ τι ἂν προγράφωμεν ἐν τοῖς πινακίοις.

Haec igitur verba, quibus gravis armaturae milites redire domum jubentur, certum habeo, non a praecone avium, cui vulgo tribuuntur ex fide unius, ut videtur, codicis Vaticani, pronuntiari, sed a Pisthetaero, neque ad chorum avium dirigi, ut vulgo statuunt, sed ad solum Euelpidem. Primum enim ordo dicendi jam est apud Pisthetaerum; deinde nexus sententiarum monstrat, hunc similia dicere debere atque hoc loco scripta leguntur; porro propter vocabulum *προγράφωμεν* fieri non potest, ut haec verba pracconi tribuantur, sed ducis ipsius credantur esse oportet, ducem autem exercitus, qui sane quidem praeter ipsum uno tantum constabat milite, aperte Pisthetaerus egit, ut ex iis, quae praecedunt, oppido liquet; accedit ad haec, quod paullo ante, Vs. 435, ipsa Pisthetaeri et Euelpidis *πανοπλία* commemoratur, quae quo jure his

hominibus tribuatur, ex loco, qui est Vs. 358 sqq., apparet, et quod facetissimo poeta per est dignum, si unus Euelpides plurali numero appellatur λεῲ et ὁπλῖται. Recte jam Dindorfius in ea Aristophanis editione, quae Oxonii emissa in lucem est, verba, de quibus sermocinamur, Pisthetaero tribuit.

Demonstratur, quattuor illas aves musicos chori esse. Explicantur verba poetae. Agitur de patria deque habitu scenico musicorum.

Ergo aliam illarum quattuor avium explicationem circumspiciamus oportet. Qua in re proficiscendum est ab eo, quod proxime ante chorum orchestram ingrediuntur. «Orchestram,» inquam, «ingrediuntur»; nam eas proscenium non esse ingressas, vel ex eo apparet, quod prorsus neque agunt neque loquuntur. Illud autem jam per se solum eo ducit, ut has aves musicos chori fuisse existimemus. Atque ita esse ut credamus, plurima etiam in ipsis poetae verbis insunt, quae suadeant. Non adhibebo, hoc quidem loco, ad demonstrandum illam vocem, quam Phoenicopterum edere Vs. 267 inter ingrediendum supra vidimus. Sed Vs. 276 gallus gallinaceus expressis verbis vocatur μουσόμαντις ὄρνις. Magis etiam idonea ad nostram sententiam comprobandam sunt ea, quae loco Aristophanio notata potius reperiuntur et significata, quam verbis expressa. Et primum quidem omnes illae quattuor aves peregrinae sunt. Phoenicopterum esse, poeta ipse significavit Vs. 271 et 275. Et appellatur apud Heliodorum, Aethiop. VI, 3, Νειλῶος φοινικόπτερος. Apud Juvenalem, Sat. XI, 139, haec avis commemoratur quidem medio inter Scythicas volucres et Gaetulum orygem loco, sed ex hoc loco de ipsa phoenicopteri patria certa conjectura capi vix potest. Porro, etiam gallum gallinaceum avem exteram esse, poeta ipse dixit Vs. 275, et ipsum nomen *Μῆδος, Περσικὸς ὄρνις,* de quo vide Vs. 485, 707, 833, demonstrat. Cujus appellationis quam Boettigerus caussam fuisse opinatur libro de persona Furiali, p. 37, adn. (C. A. Böttiger's kleine Schriften archäologischen und antiquarischen Inhalts, gesammelt und herausgegeben von Julius Sillig, Vol. I, p. 211), ea non fuit. Meliora discere vir multo me eruditior poterat jam ex postremo illo poetae loco, quin etiam ex primo, imprimis vero ex iis, quae disseruerunt Varro et Columella *de re rustica* agentes,

ille III, 9, hic VIII, 2, atque Salmasius Plinianarum exercitationum Vol. I. p. 612. Denique de altera upupa aut de ea avi, quae *κατωφαγᾶς* appellatur, aliunde quidem constat nihil illiusmodi, sed etiam has externas fuisse aves vel ex eo elucet, quod aeque atque duae primae illae ignorantur vel a Pisthetaero, cui Atticas aves omnes notas fuisse infra ostendemus. Jam vero constat, musicos, imprimis tibicines, apud Athenienses eo ipso tempore, quo haec acta fabula est, ut plurimum fuisse peregrinos, de quo satis habeo relegasse ad ea, quae disputavit Boettigerus dissert., quae inscribitur «Pallas Musica und Apollo, der Marsyastödter,» script. minor. Vol. I. p. 11 sq. et p. 36, et ad inscriptionum Atticarum, quae nunc collecta reperiuntur in Corporis inscriptionum Graecarum Vol. I. P. II., classem quintam. — Porro omnes, de quibus sermo est, aves coloratae erant vel versicolores. Phoenicopterum pennas purpureas habere, ipsum nomen indicat; accedit, quod Vs. 272 vocatur *φοινικιοῦς*. De gallo gallinaceo res nota in vulgus est. Item de upupa. Praeterea vel hanc solam avem vel hanc et simul illas duas coloratas esse, expressis verbis significatur Vs. 287. Denique etiam eam avem, cui nomen *κατωφαγᾶς* erat inditum, coloratam fuisse vel versicolorem, ex hoc eodem versu apparet, quo haec res aeque notatur et effertur a Pisthetaero atque Vs. 275, aves terris exteris esse oriundas. Atqui notissimum est, musicos vestitu purpura aliisque coloribus tincto usos fuisse, de quo cfr. quae congesserunt Bartholinus, de tibiis III, 4; Bulengerus, de theatro I, 55 et II, 40; ii, ad quos provocavit Boettigerus explicans anaglyphum musei Napoleonei opusc. lat. a Julio Silligio collect. et edit. p. 407; et, e monumentis artis, picturae non tam vasorum, quamquam in iis haud raro tibicines et citharistae repraesentati sunt, quam parietum tales, qualis est illa, quae reperitur in his libris: «Antichità di Ercol.,» T. IV. tab. 42; «Museo Borbon.,» T. I. tab. 31; in Zahniano illo, qui inscribitur: «Die schönsten Ornamente und merkwürdigsten Gemälde» etc., Fasc. VIII. tab. VIII. tab. 78, denique in Ternitiano parietum picturas Pompejanas et Herculanenses continente, cujus primum fasciculum commentariis illustravit beatus O. Muellerus, Fasc. I. tab. 8; et imprimis illa, quam publicavit Pacho, «Voyage dans la Marmarique, la Cyrénaique» etc.,

tab. XLIX et L. — Tum inquirendum est secundum Pisthetaerum, *τίς ποθ' ἡ λόφωσις ἡ τῶν ὀρνέων;* Conspirant in eo viri docti, ut *λόφωσιν* avium cristas significare credant. Et cristas habere tam gallum gallinaceum quam upupam, cum inter omnes constat, tum, si nesciremus, ex hac ipsa fabula possemus discere; vide de illo Vs. 1366 et 487, de hac Vs. 94. Jam si quis attenderit ad id, quod Vs. 487 galli gallinacei crista recta appellatur *κυρβασία*, h. e. tiara recta, qualem reges Persarum gestabant, facile sibi in animum inducat, ut cristas avium referre tiaras, et hoc musicis proprium fuisse capitis tegimentum, statuat. Et profecto, hoc pilei genere in Asianis maxime nationibus usu veniente, fieri omnino non posse, ut musicos credamus usos esse, vix contenderit, qui meminerit, artem tibiis canendi primum ab Asianis esse inventam atque excultam et vel Alcmanis poetae temporibus in Graecia ut plurimum ab Asianis servis vel mercenariis exercitam; vide libri Muelleriani, quo de Etruscis exposuit, Vol. II. p. 201 sqq.; atque citharam et vocari *Ἀσιάδα* et in Lydia primum repertam credi, cfr. quae congesserunt interpretes ad Aristophanis Thesmophoriaz. Vs. 120, quibus adde locum Diodori I, 16. Ut reliquus musicorum vestitus atque ornatus jure ad Asiaticam refertur originem, ita quidni statuamus, fieri potuisse, ut etiam capitis tegimentum Asianis proprium certe tum, quum pleno et legitimo ornatu opus esset, retineretur a musicis? Verum enim vero haec quamquam primo obtutu sanequam speciosa esse sententia videtur, cum aliis rationibus et ratiocinationibus infringi potest, tum eam ob caussam omni caret verisimilitudine, quod pilei illud genus neque a scriptoribus veteribus commemoratur tanquam musicorum proprium, neque in artis operibus conspicuum est unquam in capitibus musicorum. Utriusque generis testimonia docent, coronas aut veras aut arte factas aut utrasque simul (de quo postremo cfr. verbi caussa Stat. Theb. VI, 366) proprium musicorum capitis ornatum fuisse. Ergo aliquis dixerit, verosimile esse, Aristophanem cristis illis aut has coronas repraesentari, aut nihil, voluisse. Audio; sed hoc verum esse nego ac pernego, illud, dubito, num probabile aut aptum sit. Quid, si omnes illas aves *non* cristatas productas esse dixerimus? Hoc certum est, non *omnes* cristatas productas esse. De ea quidem, quae *κατω-*

φαγᾶς appellatur, non liquet; sed phoenicopterum cristam, non habere, ex naturali historia constat. Jam vero, quid, caussae esse possit, cur duas vel tres cristatas produxerit poeta, duas vel unam crista carentes, quum per se haud intelligatur, tum eo minus est in aprico positum, quod ea, quae certo cristam non habet, simul ea est, quam poeta agmen fecit ducentem; quam eo decore, quo reliquae gavisae fuerint, destitutam fuisse, difficile est ad credendum. Accedit ad hoc, quod, opinor, quivis unus, qui Vs. 291 accuratius inspexerit, mihi largietur, poetam ita hoc loco dicentem facere Pisthetaerum, hic ut λόφωσιν in omnibus avibus deprehendisse videri debeat. Inspiciamus igitur verba poetae huc pertinentia paulo accuratius, ut videamus, quid sibi velit vocabulum λόφωσις. Et ipse ille locus, ubi est positum, videtur sane primo obtutu postulare, ut λόφους interpretemur cristas. Quod enim Pisthetaerus interrogat, avesne ad diaulum venerint, ex parte inde explicari potest, quod Graecos etiam gravi armatura, igitur etiam cristis, instructos scimus cursu certasse *). Sed jam ea, quae respondentur ab Upupa, alteri cuidam vocabuli λόφωσις explicationi magis favent, quam illi. Haec enim quod dicit: „aves ἐπὶ λόφων οἰκοῦσιν, ut Cares», facilius ita explicatur: «*in collibus habitant*», quam ita: «*cristis instructae sunt*», quamquam concedendum est, utrumque valere de Caribus, vid. Herodot. I, 171, Strab. XIV, p. 661, schol. ad Thucyd. I, 8. Rursus istud quidem ἀπέβαλε τὸν λόφον, quod est Vs. 290, potius eo ducere debere videtur, ut de crista cogitemus, sed id, quod Vs. 279 altera upupa dicitur ἕτερος αὖ λόφον κατειληφώς τις ὄρνις, eo, ut λόφον *collem* intelligamus. Et vide, ad hoc quam sit eximie accommodatum, quod gallus gallinaceus Vs. 275 vocatur ὀριβάτης. Quod vocabulum sen-

*) «Ex parte», inquam. Nam illud per se solum non sufficere ad verba Pisthetaeri explicanda, lucc clarius est, quamquam a nullodum intellectum, ut videtur. Quippe nondum liquet, cur ipsum *diaulum* dicat Pisthetaerus. Sequi ex hoc videtur, ut, qui gravi armatura instructi cursu certarent, aut solum diaulum quaterni — quaternos stadium cucurrisse cursores non graviter armatos Pausanias VI, 13, 2 refert de certaminibus Olympicis sermocinans —, aut omnino solum diaulum cucurrerint.

tio quidem per se satis bene posse figurate dictum esse de gravi et fastus plena incedendi ratione gallo gallinaceo propria, quam attingit hic poeta etiam Vs. 486 verbo *διαβάσει*, aeque atque nos Germani cum figura dicimus «auf Stelzen gehen»; et censeo equidem, illum gradiendi modum simul relatum esse ab eo, qui gallum gallinaceum agebat, ad quam rem non inepte aliquis dixerit spectare epitheton *ἄτοπος*; sed, etiam proprio sensu capiendum esse vocabulum *ὀρεβάτης*, ut credamus, vel ea sola facere debent, quae paullo ante attulimus similiter dicta. Est autem cum hoc epitheto componendum arctissime, quod infra Vs. 836 gallus gallinaceus dicitur *ἐπιτήδειος οἰκεῖν ἐπὶ πετρῶν*, quae verba, a Suevernio, l. c. p. 63, male intellecta, respectu ejus, qui ob oculos versabatur, galli gallinacei prolata esse, infra etiam accuratius elucebit. Flagitant autem etiam haec, ut vocem *ὀρεβάτης* existimemus proprie dictam *de eo, qui in monte incedit.* Quid multa? Non potest jam dubium esse, quin *λόφωσις* avium referenda sit ad sandalia ipsarum. Et vide jam, quam egregie haec interpretandi ratio quadret etiam ad eos locos, quibus vocabulum *λόφος* ita positum est, ut, nisi Comicus esset Aristophanes, de crista non posset non usurpatum esse. Sed egregie lusit poeta facetissimus. Quod enim ad Vs. 290 attinet, jam liquet, quam apte miretur Euelpides, quod *κατωφαγᾶς*, si Cleonymus sit, non abjecerit sandalium; quod, quum altum esset, sane ita erat comparatum, ut hominem prohibere deberet, quominus cito curreret; et si Pisthetaerus Vs. 292, vocabuli *λόφωσις* ambiguitate utens ad jocandum, ex Upupa quaerit, venerintne aves ad diaulum, non potuit, quum ea, quae vere erat, *λόφωσις* potius maximo impedimento esse deberet currentibus, non fieri, quin ita verba summum eorum, qui audiebant, risum moverent. Gessisse autem musicos in scena Attica altiora quaedam sandalia, ut hoc utar ad tempus, etsi non reperitur testatum expressis verbis, tamen tam per se non est non probabile, quam loci exsistunt veterum et scriptorum et grammaticorum, ex quibus credibile fiat. Quod ad citharistas attinet, apud Xiphilinum cognoscimus Neronem *ἐν τῇ ὀρχήστρᾳ κιθάραν ἔχοντα καὶ ὀρθοστάδιον καὶ κοθόρνους, ποτὲ δὲ ἐμβάδας, καὶ προσωπεῖον*, et cothurnos gestat praestantissimum illud Apollinis citharoedi signum

marmoreum ad museum Pioclementinum pertinens, quod probabile est referre celeberrimam Scopae statuam in aedibus Apollinis Palatini collocatam, accuratissime illud inter omnes, quae adhuc exstant, Apollinis citharoedi imagines ornatum et vestitum citharistarum vel citharoedorum exhibens, vid. «Musée François» P. I, tab. 5 et Muelleri «Denkmäler der alten Kunst», T. I, tab. XXXII, 141, a. Tibicinum vero *κρο πέζια* perhibentur fuisse, Boeotis proprium calceamenti genus, de quo egerunt Salmasius ad scriptores H. A. T. II. p. 838 sqq. (ed. Lugd. Bat. a. 1671) et Boettigerus «quid sit docere fabulam» prolus. alt. p. 6 sqq. adn. (opuscul. p. 303 sq.); testimonia congesserunt Schneiderus l. c. p. 104 et Meinekius «Historia critica Comicorum Graecorum» p. 336.

Pergitur. Probatur, gallum gallinaceum et alteram upupam cristis caruisse. Disputatur de luscinia tibicina deque corvo tibicine ad interpretandos locos, qui sunt Vs. 658 sqq. et Vs. 859 sqq. Exponitur accuratius, quae sit horum duorum musicorum et ratio et relatio ad illos. Agitur in transcursu de Batalo et Antigenida tibicinibus.

Ergo demonstratum videtur, vocabula *λόφος*, *λόφωσις* non spectare ad cristas quattuor avium. Fatendum tamen, habere nostram sententiam dubitationem, num hic poeta apte ita, ut demonstravimus, usus sit illis vocabulis, siquidem gallum gallinaceum et alteram upupam revera cristis, quas proprie appellari *λόφους* notum est, instructas produxerit. Qua de re, ne quis ab hac parte aut nobis contradicat aut summum Comicum vitii crimine oneret, inquirendum erit accuratius, illud num vere locum habuerit, an minus. Et videtur nobis speciose commonstrari posse, neutram avem cristatam fuisse. Incipiamus ab altera upupa. Priorem, Procnes illum maritum, *τριλοφίαν* habuisse, supra vidimus. Sed eam avum esse alterius upupae patre natae ea, quam Philocles foediore aspectu descripserit vel potius produxerit, cognoscimus ex loco, qui est Vs. 281 sqq., de quo nuperrime disputavit Gustavus Exnerus dissert. «de schola Aeschyli et trilogiarum ratione» p. 10 sqq. Ergo, quum nihil caussae sit, cur priorem upupam decrepitum fuisse senem existimemus, consentaneum est, ut alteram pullam cogitandam esse credamus; unde rursus sequitur, ut crista caruerit. Porro quod ad gallum gallinaceum attinet, vidimus sane, vel in hac fabula cristam

hujus avis commemorari pluries; sed verba, quibus hoc fit, ita sunt comparata, ut minime opus sit respectu ejus, qui in orchestra versabatur, galli gallinacei dicta existimare. Jam vero Vs. 832 sqq. Pisthetaero interroganti:

Τίς δαὶ καθέξει τῆς πόλεως τὸ Πελαργικόν;

ita respondet Upupa:

Ὄρνις ἀφ' ἡμῶν τοῦ γένους τοῦ Περσικοῦ,
ὅσπερ λέγεται δεινότατος εἶναι πανταχοῦ
Ἄρεως νεοττός,

quo facto Euelpides exclamat:

Ὦ νεοττὲ δέσποτα·
ὡς δ' ὁ θεὸς ἐπιτήδειος οἰκεῖν ἐπὶ πετρῶν.

Quae verba ad eum, qui aderat, gallum gallinaceum dirigi, cum per se probabile est, tum non negabitur ab eo, qui meminerit, quo respectu ea, quae sunt altero versu, sint dicta. Ergo amplius dubium esse non potest, quin pullus fuerit gallus gallinaceus; unde rursus sequitur, ut cristam non habuerit; in quam rem non indignum censeo, qui conferatur, locum Heraclidis servatum ab Athenaeo XII, p. 533 E, repraesentatum a Meinekio Fragm. Com. Gr. Vol. III, p. 465:

Ἀλεκτρυόνα τὸν τοῦ Φιλίππου παραλαβὼν
ἀωρὶ κοκκύζοντα καὶ πλανώμενον
κατέκοψεν· οὐ γὰρ εἶχεν οὐδέπω λόφον,

ad quem adnotavit vir egregius, Schweighaeuserum verba *οὐ γὰρ εἶχεν οὐδέπω λόφον* ad imperitiam et juventatem Addaei referre. Jam si probabile est, ne gallum quidem gallinaceum aut alteram upupam cristatas fuisse aves, quam fiat credibile, etiam eam, quae *κατωφαγᾶς* appellatur, crista caruisse, non est quod moneam. Et ita fuisse, necesse est vel per se statuant ii, qui pelecanum onocrotalum intelligendum esse sibi persuaserint. — Haec hactenus. Restat, ut alia quaedam agitemus disputando, quae et obverti nobis possint quattuor illas aves musicos esse censentibus, et ad universam rationem musicorum scenicorum penitius cognoscendam haud exigui sunt momenti. Jam ante quam orchestram ingrederentur quattuor illae aves, lusciniam, tum quidem non adspectabilem, tibiis cecinisse, supra monitum est. Ea postea scenam ingreditur loco, quem, quatenus dignus est, qui accuratius cognoscatur, hic apponam integrum:

ΠΕΙΣΘΕΤΑΙΡΟΣ.

Οὕτω μὲν εἰσίωμεν. Ἄγε δὴ Ξανθία
καὶ Μανόδωρε, λαμβάνετε τὰ στρώματα.

ΧΟΡΟΣ.

Οὗτος, σὲ καλῶ, σὲ καλῶ.

ΕΠΟΨ.

Τί καλεῖς.

ΧΟΡΟΣ.

Τούτους μὲν ἄγων μετὰ σαυτοῦ
ἀρίστισον εὖ· τὴν δ' ἡδυμελῆ ξύμφωνον ἀηδόνα Μούσαις
κατάλειφ' ἡμῖν δεῦρ' ἐκβιβάσας, ἵνα παίσωμεν μετ' ἐκείνης.

ΠΕΙΣΘΕΤΑΙΡΟΣ.

Ὦ τοῦτο μέντοι νὴ Δι' αὐτοῖσιν πιθοῦ·
ἐκβίβασον ἐκ τοῦ βουτόμου τοὐρνίθιον,
ἐκβίβασον αὐτοῦ πρὸς θεῶν αὐτήν, ἵνα
καὶ νὼ θεασώμεσθα τὴν ἀηδόνα.

ΕΠΟΨ.

Ἀλλ' εἰ δοκεῖ σφῷν, ταῦτα χρὴ δρᾶν. Ἡ Πρόκνη
ἔκβαινε, καὶ σαυτὴν ἐπιδείκνυ τοῖς ξένοις.

ΠΕΙΣΘΕΤΑΙΡΟΣ.

Ὦ Ζεῦ πολυτίμητ', ὡς καλὸν τοὐρνίθιον,
ὡς δ' ἁπαλὸν, ὡς δὲ λευκόν.

ΕΥΕΛΠΙΔΗΣ.

Ἆρά γ' οἶσθ' ὅτι
ἐγὼ διαμηρίζοιμι' ἂν αὐτὴν ἡδέως;

ΠΕΙΣΘΕΤΑΙΡΟΣ.

Ὅσον δ' ἔχει τὸν χρυσὸν, ὥσπερ παρθένος.

ΕΥΕΛΠΙΔΗΣ.

Ἐγὼ μὲν αὐτὴν καὶ φιλῆσαί μοι δοκῶ.

ΠΕΙΣΘΕΤΑΙΡΟΣ.

Ἀλλ' ὦ κακόδαιμον, ῥύγχος ὀβελίσκοιν ἔχει.

ΕΥΕΛΠΙΔΗΣ.

Ἀλλ' ὥσπερ ὠὸν νὴ Δί' ἀπολέψαντα χρὴ
ἀπὸ τῆς κεφαλῆς τὸ λέμμα κἄθ' οὕτω φιλεῖν.

Praeterea etiam tibicinem deprehendimus in scena pompam, quae post Vs. 850 ingreditur, comitantem, eumque *κόρακ' ἐμπεφορβιωμένον*, ut vocatur Vs. 861. Objiciat mihi aliquis,

hoc satis esse musicorum, non opus esse quattuor illis, idque eo minus, quod jam Procnen chori musicum esse, ex iis, quae leguntur inde a Vs. 676, oppido eluceat. Porro ad hoc videtur attendendum, quod luscinia et corvus haud dubie alio habitu erant, quam phoenicopterus, gallus gallinaceus, altera upupa, *κατωφαγᾶς*. Corvum expressis verbis commemoratur *φορβείαν* habuisse, capistrum musicis proprium, de quo copiosissime egit Boettigerus script. min. Vol. I, p. 51 seqq. Idem quin sit Procnes *τὸ λέμμα*, cujus mentio fit Vs. 673 sq., non videtur dubium, ut neque illud, quin *ῥύγχος ὀβελίσκοιν*, quod in illo inesse legimus, de duplici tibia sit intelligendum. Atque illud capistrum non fuisse quattuor illis avibus, tantum non certum videtur. Vix enim est credibile, alioqui ne verbo quidem notaturum fuisse poetam. Pariter ex hac eadem caussa vero videtur simile, Procnen et corvum caruisse soleis illis altioribus, de quibus supra vidimus. His igitur nixus discrepantiis ita aliquis ratiocinetur: quum certum sit, lusciniam et corvum canere tibiis, statuendum esse aut, inter quattuor illas aves nullum fuisse tibicinem neque tibicines scenicos uti altioribus soleis consuesse, aut quattuor aves omnino non fuisse musicos. Ex quibus quum ea, quae priore loco posita sunt, vix fieri possit ut credamus, altera haec ratiocinatio eodem duceret, quo illa, quam paullo supra communicavimus. — Ad haec igitur jam erit respondendum singillatim. Qua in re agenda dum in universum servabimus ordinem, initium tamen facimus de corvo disserentes. Is musicus neque ad chorum pertinet neque ad actores, sed ad solam pompam, quae in scenam inducitur; notum est autem, veteres solitos fuisse sacris tibicines adhibere. Qui postquam scenam ingressus est post Vs. 850, abit post Vs. 1057; si praeterea tibia cecinerit, pone scenam fecerit necesse est, quod, cur ita sit institutum, quum idoneis rationibus non possit demonstrari, potius concedendum erit, non esse factum. Quin, eum ne iis quidem canticis tibia adspirare, quae sunt Vs. 851 sqq. et 895 sqq., probabiliter concludi potest ex eo, quod demum sub finem prioris cantici tibia canere jubetur. Similis, ut videtur, sed diversa tamen lusciniae ratio est. Ea et ipsa breve tantum tempus versatur in scena. Abit enim statim post Vs. 800, id quod cum aliis de caussis probabile

est, tum ex iis, quae proferuntur a choro Vs. 660 et a Pisthetaero Vs. 661 et 664, certo sequitur. Cecinisse autem lusciniam pone scenam versantem praeter eum locum, de quo supra vidimus, ubi expressis verbis excitatur ad canendum, quominus credamus, jam ea prohibet ratiocinatio, quam modo protuli de corvo agens; sed nova accedit haec ratio, quod lusciniam, ubi revera illud agit, non agere nisi jussam animadvertimus. At enim objiciat aliquis, ut luscinia semper concinuerit chori cantui, certo sequi ex eo, quod illa Vs. 678 et 679 ab hoc appelletur his verbis:

πάντων ξύννομε τῶν ἐμῶν
ὕμνων ξύντροφε.

Speciose quidem, sed dubito, an non recte. Aut enim concedendum esset, hunc poetam minus considerate sive hoc loco locutum esse sive illa sic, ut vidimus, instituisse, aut statuendum, vocabulum *ὕμνος* positum esse proprio sensu de cantu deo alicui dicato. Et haec vera difficultatis expediendae ratio videtur. Partim enim ad hanc explicationem optime quadrat quod infra Vs. 737 sqq. chorus ad lusciniam conversus, tecum, inquit,

Πανὶ νόμους ἱεροὺς ἀναφαίνω
σεμνά τε μητρὶ χορεύματ' ὀρεία,

partim vel per se egregie habet, quod chorus se dicit cantus illos sanctissimos et quasi praecipuos non edere nisi comite summa cantrice. Nihilominus tamen non nego, fieri non posse, quin illud, quod luscinia praeludit anapaestis et quod postea tibia canit inter cantum chori, — si omnino in his acquievit, — scrupulos relinquat, si tamen statuitur, adfuisse musicos imprimis ad chorum pertinentes. Ergo accipe hanc meam conjecturam. Musicos, qui choro vel scenicis concinerent, vulgo non fuisse optimae notae, par est credere; sed fieri poterat, ut aut choregus paratus esset ad majores sumptus faciendos aut poeta celebriore artifice opus haberet; tum adhibebatur celeberrimus quisque musicus; is rem suam agebat sine socio et magis solus canebat, quam iis, qui canerent, accinebat. Quod si in comoediis fieret, vel per se in nulla parte tam aptum erat, quam in parabasi, quam splendidissimam comicae fabulae partem esse inter omnes constat; sed potuit etiam alibi locum habere, ubicunque maxime con-

duceret rei. Fac, tale quid, Aves quum ageretur, usu venisse, et omnes scrupuli remoti erunt; simul apparebit, quam egregie omnia concinant; nam quum tibicine opus esset, summa sane hujuscemodi artifex natura sua erat luscinia eaque ipsa Upupae, cujus magnae in fabula agenda partes sunt, uxor. Quin id ipsum, quod *luscinia* est, quae tibia canit, vel per se solum flagitat, ut eum, qui lusciniam agebat, excellentissimum fuisse tibicinem sumamus, ut taceam ridicula fere esse verba, quae ab Upupa proferuntur Vs. 210 sqq., si ita non fuisse censendum esset. Jam intelligitur etiam, qui fiat, ut luscinia *excitetur* semper ad canendum tibia, quippe *extra ordinem* canit. Omnino admirabilis sane poetae ars conspicua est in omnibus, quae ad lusciniam spectant. Quam artificiose hunc tibicinem fabulae ipsi immiscuit, id quod fere eodem modo valet de quattuor illis musicis, qui in hac fabula non prorsus non respiciuntur vel omnino separantur ab iis, qui canunt et agunt, sed jam eo, quod nominantur, eodem fere loco habentur, quo chorus; quam egregie cavit, ne tibicen Procnen agens praeter exspectationem canere videretur, et simul curavit, ea ut aptis locis caneret; quam praeclare rationem habuit temporis, quo haec acta est fabula — actam autem esse Dionysiis urbanis constat — et vice versa ejus anni partis, qua lusciniae canere solent, quum chorum dicentem fecit Vs. 683: *φθέγμασιν ἠρινοῖς!* His ita disputatis videtur satis esse dictum de priore objectione. — Pergamus jam ad alteram. Et ea quidem, quae de capistro sunt monita, ut recte aestimari possint, non inutile fuerit meminisse, illud *ἄτερ φορβείας φυσῶν* proprium fuisse eorum, qui plenis buccis et vehementius tibias inflare vellent, contra usos esse capistro, quibus aut lenius, sive omnino sive ad partem, tibiae inflandae essent aut cavendum, ne inter flandum nimis multus ventus frustra periret. Sic enim in universum de posteriore tibia canendi ratione statuendum videtur, nam capistrum non impedivisse vehementiorem flatum, ut alia mittamus, docet figura *buccinatoris*, quam repraesentari jusserunt Micali «l'Italia avanti il dominio dei Romani» tab. C et Panofka «Bilder antiken Lebens» fasc. II, tab. VII. Taceo, quod jam Salmasius adnotavit de capistro agens Plinian. Exercitat. T. I, p. 585, hoc capistro tibicines os sibi obligasse et buccas sub-

strinxisse, ne ultra justum modum inflarentur neve turpiculum os redderent. Jam vero, chori tibicines, probabile est, saltem ut plurimum et concentum edidisse et tibiis adspirasse pluribus simul cantantibus, ergo non est, cur eos statuamus capistro non potuisse carere; contra luscinia certe maximam partem sola canebat, corvus omnino solus, ergo apte utebantur capistro. — Non multo difficilior ad solvendum, quamquam aliquanto magis implicata, ea quaestio est, qua agitur de soleis tibicinibus propriis, quae *κρουπέζια* appellantur. Libanius quidem apud Photium, Bibl. 266 p. 495 Bekk. haec refert: *ἱστόρηταί τις Ἔφέσιος Βάταλος αὐλητὴς γενέσθαι, ὃς πρῶτος ὑποδήμασι γυναικείοις ἐπὶ τῆς σκηνῆς ἐχρήσατο καὶ μέλεσι κατεαγόσι, καὶ ὅλως τὴν τέχνην ἐμαλάκισεν.* Porro apud Suidam s. v. *Ἀντιγενίδης* haec scripta reperiuntur: *Ἀ. Σατύρου Θηβαῖος μουσικός, αὐλῳδὸς Φιλοξένου· οὗτος ὑποδήμασι Μιλησίοις πρῶτος ἐχρήσατο καὶ κροκωτὸν ἐν τῷ Κωμαστῇ περιεβάλλετο ἱμάτιον.* Jam probabilis est conjectura Meinekii, Batalum illum, quisquis fuit, ab Eupolide in Baptis in scenam esse productum existimantis, vid. Histor. crit. p. 335; acta autem est Eupolidis fabula eodem judice (vid. p. 125) Olymp. XCI, 1 ludis Liberalibus urbanis, ergo uno anno ante quam Aves doceret Aristophanes. Quod ad Antigenidem Satyri attinet, diversum illum a cognomine tibicine, Dionysii filio, id quod nuperrime demonstravit Meinekius Fragm. com. Gr. Vol. III. p. 187, non potest quidem certo ostendi, eum jam ante Aves doctam musicam exercuisse; Philoxenus, poeta lyricus, cujus apud Suidam perhibetur tibicen fuisse, nominis celebritatem assecutus est circa Olymp. CXV, ut monuit Meinekius Hist. crit. p. 89, sed quidni Antigenidem Satyri jam multo ante hoc tempus ne dicam inclaruisse, at musicam exercuisse statuamus; quo probato, etiam si ponimus, *Κωμαστὴν* fuisse Philoxeni dithyrambicum carmen, non Antigenidae, quod posterius statui posse existimavit Meinekius l. c. p. 341. adn. 61, — tamen optime sumere licet, Antigenidem Satyri Milesiis calceis jam ante Aves actam usum esse, quia verba Suidae supra exscripta haudquaquam postulant omnino, ut Antigenidem eo ipso tempore, quo operam suam navabat Philoxeni *Κωμαστῇ*, *primum* illos calceos gestasse existimemus. Quin

Odofredus Muellerus libri, quo de Etruscis exposuit, Vol. II. p. 202 haec perscripsit ad locum Suidae pertinentia: «gewiss führte nicht erst Antigenidas in Griechenland das Safrangewand (des Lydischen Bacchus Attribut) und die Milesischen Schuhe bei den Flötenspielern ein». Et fatendum est, etiam id, quod eadem res apud Suidam refertur de Antigenida, apud Libanium, cujus locum ignoravit Muellerus, tribuitur Batalo, — eosdem enim esse calceos Milesios et muliebres tantum non certum videtur — videri pro sententia viri summi pugnare, nisi quis maluerit statuere, Batalum vocatum esse etiam Antigenidem. Quid, si nos ita esse contenderimus et proinde in depravato scholio ad Aeschinis orat. c. Timarchum §. 126 hocce: *δοκεῖ δέ μοι λελέχθαι βάταλος παρὰ τὸ Εὐπόλιδος σκῶμμα· ἐκεῖνος γὰρ ὑπὸ τῶν Βαπτῶν ὀνόματα τοῖς αἰσχροῖς, καὶ τιγράνην βάταλον ὑπ' αὐτῶν καλεῖσθαι*, pro verbo *τιγράνην*, quod in vitio esse jam Meinekius l. c. p. 335 odoratus est, rescribendum conjecerimus: *Ἀντιγενίδην*? Quam facile initiales literae hujus nominis propter antecedentis vocabuli literas finales excidere potuerint, in propatulo est situm. Praeterea similia, atque apud Libanium de Batalo praedicantur, de Antigenida relata e Theophrasto et Plinio citavit jam Salmasius Plin. Exercit. p. 85 A et B, quae ut de juniore Antigenida valere jure suo censuerit Meinekius, Fragm. Com. Gr. Vol. III. p. 188, referri tamen aeque bene ad Satyri filium posse, jam ex iis, quae apud Suidam scripta leguntur de vestitu, quo hic sit usus, credibile fit. Illud si vere conjecimus, sponte apparet, quam facile fieri potuerit, ut de Ephesio tibicine, cui Batalo fuit sive nomen sive cognomen, eadem relata legamus atque de Antigenida. Illum autem hoc juniorem fuisse, consentaneum est eum statuere, qui adstipuletur iis, quae a Meinekio et a nobismet ipsis disputata sunt, et ex iis, quae traduntur a Plutarcho vit. Demosth. cap. 4, Ephesium tibicinem ab Antiphane exagitatum esse probabile ducat. Sed haec omnia infirma esse atque dubia fatendum est. Quae quum ita sint, facile aliquis scrupulum injiciat sic ratiocinans: quoniam certum videatur, neque lusciniam neque corvum tibicines gestasse illa *κρουπέζια*, magis etiam vero fieri simile, tibicines, quotquot affuerint in Avibus agenda, hoc calceamento non esse usos,

etiamsi musicorum usque ad illam sive Batali sive Antigenidae novationem proprium fuerit. Ad hanc igitur objectionem ad tempus haec respondebo. Vel per secredibile non est, fuisse omnibus tibicinibus uno eodemque tempore viventibus unum atque idem calceamenti genus. Praeterea neque illud simile est vero, tibicines nullo alio usos esse nisi aut iis, quae *κρουπέζια* appellantur, aut calceis Milesiis. De utroque quum scriptores taceant, monumenta artium a veteribus cultarum satis nos edocent. Tum si quis secum reputaverit, scabella apud Romanos, et vel serioribus temporibus, usitata fuisse, is vix ac ne vix quidem sibi inducat in animum, ut *κρουπέζια*, quod vocabulum vel idem significat, abolevisse apud Graecos omnino, nedum tam mature, credat. Jam his credibile redditur, fieri potuisse, ut qui in una eademque fabula musici prodirent, diversis tamen uterentur calceamenti generibus. Per se intelligitur, hoc imprimis valere de iis, qui tam loco, quo prodirent, quam conditione essent diversi. Praeterea non est non probabile, talibus calceis, quales sunt Milesii, et omnino splendidiore ornatu saltem temporibus Aristophanis eos tantum usos fuisse, qui celebriores essent atque eam ipsam ob caussam inflatiores luxuriosioresque; in theatro verbi caussa tales, qualis in hac fabula prodiit luscinia, nisi quod haec tibicina est, non tibicen, sed non tales, quales erant quattuor illi musici. Sed videtur etiam accuratius demonstrari posse, cur hi potissimum *κρουπέζια* gestaverint, reliqui non item. Etenim Pollux VII, 87 expressis verbis tradidit: *τὰ κρουπέζια ξύλινον ὑπόδημα, πεποιημένον εἰς ἐνδόσιμον χοροῦ.* Ergo hae soleae inserviebant ad siguum canendi dandum. Hoc vero negotium tantummodo quattuor illorum musicorum esse potuit, quos proprios chori musicos esse conjecimus; contra luscinia ipsa semper excitatur ad canendum, atque item semel corvus, qui quidem omnino in censum vocari non potest. Jam, opinor, etiam ab hac parte omnia sunt tuta.

Pergitur. Demonstratur, phoenicopterum, alteram upupam, *κατωφαγᾶν* tibicines fuisse, gallum gallinaceum citharistam.

Quum jam eo perventum sit, ut non videatur dubitari posse, quin phoenicopterus, gallus gallinaceus, altera upupa, *κατωφαγᾶς* musicos egerint, quaerendum est porro, exercue-

rintne unum idemque musicae genus, an minus; si minus, quot et quae exercuerint; praeterea, qui singula exercuerint genera. Ad quam quaestionem solvendam pergens moneo, rata habenda esse haec duo: tam tibiae quam citharae vel lyrae fuisse usum et plures fuisse tibicines quam citharistas; vid. quae disputaverunt vel congesserunt Genellius l. c. p. 148 sqq., Leutschius diurn. scholast. a Zimmermanno edit. a. 1833 p. 255, 1031, 1035, Schneiderus l. c. p. 211 sqq.; de musica ad carmina cantanda adhibita saepius monitum esse a poetis scenicis, imprimis ab Euripide, adnotavit etiam et plura exempla congessit Schoellius libri, qui inscribitur: «Beiträge zur Kenntniss der tragischen Poesie der Griechen» Vol. I. p. 397. Proficiscendum autem ab eo, ut dispiciamus, quid sit, quod, quum eo loco, quo quattuor illae aves orchestram ingrediuntur, reliquas nullo verbo significetur musicos esse, tamen gallus gallinaceus appelletur *μουσόμαντις ὄρνις*. Hoc epitheto non signari quidquam gallo gallinaceo tanquam gallo gallinaceo proprium, inde apparet, quod Pisthetaerus hanc avem non novit. Jam Henricus Vossius ad illam quaestionem respondit, gallum gallinaceum post ipsum in orchestram ingressum sonum aliquem edidisse. Sed hoc sibi temere sumpsit vir doctus. Si sonum edidisset gallus gallinaceus, qualis is fuisset in libris mscr. reperiremus significatum, ut ex Vs. 267 apparet; sed — id quod Vossii sententiam omnino jugulat — quae post ipsum hunc versum leguntur luculento exemplo demonstrant, non sufficere sonum editum ad talem interrogationem, qualis Vs. 272 fit, explicandam. Non video equidem ullam aliam interpretandi rationem nisi hanc, ut gallum gallinaceum secum tulisse aliquod organon musicum statuamus et tale quidem, quod aptam illius epitheti ansam praebere potuerit. Quod, si illud recte conjeci, nullum aliud fuisse potest, quam cithara vel lyra. Velim accurate attendatur ad alteram partem vocabuli *μουσόμαντις*. Neque enim haec simpliciter significat musicum, sed musicum eundemque vatem. Jam vero instrumenta musica, quibus vates utebantur, nulla alia erant quam cithara et lyra. Simul, gallum gallinaceum egisse citharistam, efficitur ex eo, quod is *solus* tanquam *μουσόμαντις ὄρνις* inducitur, siquidem paullo ante jure posuimus, plures numero tibicines adfuisse quam

citharistas. Pro eadem sententia haec faciunt accurate perpensa, ita quidem, ut simul omnes scrupuli adimantur, quos movere quis possit propterea, quod tibiarum similem mentionem nullam omnino videmus factam. Quid enim? Num tibias non venisse in conspectum credibile est? Si quis eorum meminerit, quae supra de rostro lusciniae duobus ex verubus constante sunt monita, is facile, opinor, a se impetrabit, ut credat, etiam trium horum chori tibicinum organa musica fuisse loco rostrorum. Ad quam rem egregie quadrat, quod tam ex certis quibusdam testimoniis, cfr. Vs. 62, 99, 308, quam ex eo, quod ii, qui loquuntur vel canunt, ore aperto opus habent, probabile fit, aves ad unam omnes rostris praeditas fuisse apertis. Quod quum ita esset institutum, mirum fuisset, si solus gallinaceus, quamvis, si nostra sententia vera est, utpote citharista proprie carere potuisset rostro aperto, id habuisset clausum. Unde factum est, ut tibiarum, ubi de avibus tibicines agentibus sermo est, nulla sit injecta mentio, et vice versa, ubi de citharista agitur, hujus rostrum a reliquis diversum esse, non sit significatum. Contra gallus gallinaceus secum ferebat citharam vel lyram ipsi uni propriam. Ea igitur quin Pisthetaero ansam dederit quaerendi: *τίς ποτ' ἔστ' ὁ μουσόμαντις ὄρνις*, neque secundum hanc ratiocinationem licebit dubitare.

Continuatur demonstratio. Probatur, phoenicopterum cecinisse *τὸ ἐμβατήριον* et *τοὺς ἐξοδίους νόμους*. Agitur de patria quattuor avium musicos agentium deque caussis cur illae ipsae productae sint. Demonstratur, gallum gallinaceum lyra usum esse. Tractantur aliquot artis opera gallum gallinaceum musicum repraesentantia. Agitur de ordine, quo prodeunt aves, deque varia eorum aetate atque calceamento. Verosimile redditur, tibicines jam scabilla gestasse.

Cum iis, quae modo effecimus disputando, apprime convenit, quod sonum similem iis vocibus, quas edit phoenicopterus Vs. 267, tibiae cantum referre Vs. 260 et 262, jam supra conjecimus de luscinia disserentes. Sed differunt tamen hae lusciniae et phoenicopteri voces aliquatenus. Qui eas, quas hic emittit, consideraverit accuratius, duos anapaestos efficere reperiet. Ecce tibi rem notatu admodum dignam! Neque enim dubium videtur, quin illis vocibus contineatur id, quod Graeca lingua appellabatur *τὸ ἐμβατήριον*. Ergo hoc

unus tantummodo canebat tibia et is, qui non solum primus ingrederetur, sed etiam, ut infra etiam accuratius apparebit, vere princeps esset. Qui *τὸ ἐμβατήριον* cecinit, ejus etiam fuisse, *τοὺς ἐξοδίους αὐλεῖν τοὺς νόμους*, ut Cratini utar verbis, de quibus vide, quae congessit Schneiderus l. c. p. 207 sq., probabile est. Hos vero hac in tabula effecisse *τὸ γαμήλιον*, quod Pollux appellat IV, 10, 75, vero esse simillimum concedet, qui eorum, quae sub finem aguntur et canuntur, meminerit. Jam Pollux eodem loco testatur, cani *τὸ γαμήλιον* maxime ea tibia, cui *μοναύλῳ* nomen erat inditum. Convenit hoc egregie cum eo, quod modo vidimus, tibicinem, qui phoenicopterum agebat, tibia cecinisse sine voce addita. Porro haec scripsit Pollux l. c. §. 82: *νίγλαρος δὲ μικρός τις αὐλίσκος, Αἰγύπτιος, μοναυλίᾳ πρόσφορος.* Ergo hac tibia usus fuisse ille tibicen videtur. Sed ea non sane sola. Paullo enim ante, §. 80, grammaticus haec tradidit: *τὸ γαμήλιον αὔλημα δύο αὐλοὶ ἴσαν, συμφωνίαν μὲν ἀποτελοῦντες, μείζων δὲ ἕτερος, ὅτι μείζονα χρὴ τὸν ἄνδρα εἶναι.* Necessarium igitur videtur, ut tibicinem praeter *νίγλαρον* aliam eamque majorem tibiam habuisse statuamus. Haec si recte sunt disputata, uno certe exemplo insuper firmata sunt ea, quae supra de rostris quattuor avium musicos agentium iisdem tibiis posuimus alia usi ratiocinatione. Porro ad ea, quae modo disseruimus, egregie quadrat etiam illud, quod phoenicopterum Aegyptiam avem esse scimus ex loco Heliodori supra allato. Nam ex loco Pollucis paullo supra primum adhibito praeter illa dicimus, *μόναυλον* Aegyptiorum esse inventum. Itidem Athenaeus ex Juba refert IV, 175, E, *μόναυλον* ab Osiride esse inventum. Is igitur haud dubie adhibebatur ad cultum Osiridis et Isidis, quocum eximie congruit, quod Heliodorus tradidit, phoenicopterum avem Isidi sacram esse. Denique etiam *νίγλαρον*, quam tibiam phoenicopteri fuisse conjecimus, vidimus a Polluce Aegyptiis tribui. Omnino jam, nisi omnia me fallunt, in clarissima luce est positum, cur illa Aegyptio potissimum tribuantur tibicini et porro, cur inter aves Aegyptias ipsi phoenicoptero. — Insistamus aliquantisper hac eadem via. Quaeritur post haec ita disputata, e quibusnam terris Comicus oriundas cogitari voluerit alteram upupam et *κατωφαγᾶν*. Upupa,

Θράσση πτερωτὸς ὄρνις ἐν παντευχίᾳ,
ut appellatur ab Aeschylo fragm. 300 Schuetz., quin Thracia avis habenda sit dubitari omnino nequit. Thrax enim erat Tereus, quem fabulae ferebant in upupam esse mutatum, hominem cristatum, *στικτὸν*, versicolore ornatum vestitu in avem itidem cristatam atque variam pictamque plumam habentem, vide quae ad illud Aeschyli fragmentum adnotavit Salmasius Plinian. Exercit. Tom. I. p. 168 et 169, et, illius upupae nepotem hanc alteram upupam tibicinem prodi, jam supra vidimus. Quod vero attinet ad eam avem, quae *κατωφαγᾶς* appellatur, minus quidem certa res est, sed persuasissimum habeo, Boeotiam cogitandam esse. Id ut credam, duae imprimis caussae faciunt, prior haec, quod credibile non est, Boeotorum, quos arti tibiis canendi maximam operam, nec sane incassum, navasse notissimum est, et imprimis etiam Athenis artem illam exercuisse, ex pluribus vel hujus ipsius poetae locis apparet, nullam omnino esse rationem habitam; altera haec, quod aperte in nomine *κατωφαγᾶς* allusio inest ad voracitatem, Boeotos vero et fuisse gulosos et propter id ipsum plus etiam, quam par erat, ab Atticis notatos esse atque derisos, inter omnes constat. Haec igitur si recte exputavimus, hic poeta, quum aves, quae tibicines repraesentarent, elegit, egregie sic egit rem suam, ut earum gentium, quae et primum et praecipue artem tibiis canendi coluerunt, ex ordine rationem haberet. — Ad postremum dicendum erit de gallo gallinaceo. Eum Medum esse sive Persam, ipse, ut jam vidimus, Comicus expressis verbis significavit. Sed quaeritur, quid sit, quod *Medicum* sive *Persicum* adhibuerit citharistam, et quatenus potissimum *gallum gallinaceum* citharistam fecerit. Et illud quidem quid sibi velit, post ea, quae supra p. 39 monita sunt de Asiatica citharae origine, jam non erit prorsus in obscuro. Omnino Asianos praecipue citharae studuisse atque huc referri debere Plutarchi de fortuna Alexandri magni dicentis locum quendam, jam Barnesius adnotavit ad Euripidium illud: *Ἀσιάδος κιθάρας ψόφον*, quod legitur Cycopl. Vs. 442. Sed non omnium citharae generum origo repetebatur ex Asia. Digna haec res est, quae paullo accuratius excutiatur. De cithara agens, quae *Ἀσιὰς* appellatur, is qui Etymologicum magnum composuit, *ἡ τριί-*

χορδος, inquit, κιθάρα οὕτω καλεῖται. Etiam Stephanus et Suidas in v. Ἀσία in Asia, Lydiae urbe, in Tmolo monte sita, *citharam trium chordarum* inventam scribunt. Jam vero ex loco Diodori ibidem a nobis allato discimus, Mercurium λύραν νευρίνην ποιῆσαι τρίχορδον μιμησάμενον τὰς κατ' ἐνιαυτὸν ὥρας· τρεῖς γὰρ αὐτὸν ὑποστήσασθαι φθόγγους, ὀξὺν καὶ βαρὺν καὶ μέσον, ὀξὺν μὲν ἀπὸ τοῦ θέρους, βαρὺν δὲ ἀπὸ τοῦ χειμῶνος, μέσον δὲ ἀπὸ τοῦ ἔαρος. Porro Comicus Thesmophoriaz. Vs. 124 sq., de quo loco non assentior Fritzschio, Ἀσιάδα vocat

κίθαριν ματέρ' ὕμνων
ἄρσενι βοᾷ δονίμῳ,

et vice versa ex Aristide discimus, *lyrae sonum validiorem fuisse, quam citharae*, cfr. etiam quae disputavit Boeckhius libri de metris Pindari p. 260. Ex his jure nostro concludere posse nobis videmur, organon musicum, quo utebatur gallus gallinaceus, *lyram* fuisse, non citharam proprie sic appellatam, quorum instrumentorum discrimen et similitudinem exposuerunt Burettius «Mémoires de l'Académie des inscriptions» Vol. IV. a. 1723 edit. p. 124 sq., Forkelius Historiae musices Vol. I. p. 200 sqq. et Gerhardius libri, qui inscribitur «Auserlesene Griechische Vasenbilder hauptsächlich Etruskischen Fundorts», Tom. I. p. 88 et 89 adnot. 60 atque 61 et p. 103 atque adn. 156 *). Et observa jam, quam egregie id, quod de lyra modo rettulimus ex Aristide, concinat cum eo, quod supra p. 47 sq. effecimus de tibiis earum avium tibicines agentium, quae ex nostra sententia prorsus eodem sunt loco habendae, quo gallus gallinaceus, nisi quod hic citharista est. Vice versa ex hoc, quod lyra, validiorem illa sonum edente, potius quam cithara, opus esse censebat gallo gallinaceo hic poeta, jam, opinor, dilucide apparet, cur *Asiaticam*

*) Secundum locos, qui sunt in Etymologico magno, apud Stephanum et Suidam, paullo supra commemoratos, videri potest statuendum esse, lyram, quam gestabat gallus gallinaceus, trium fuisse chordarum. Sed hoc an credendum non sit, vehementer dubito. Nec moveor, ut probabile ducam, eo quod revera exstat antiquae artis opus quoddam, in quo juxta personas aliquot scenicas repraesentatum reperitur organon musicum tribus chordis instructum, vide Agincourtii «Histoire de l'art par les monumens» Vol. V, tab. 13, 12.

avem citharistam induxerit. Sed quaeritur porro, ut jam significavimus, cur potissimum *gallum gallinaceum* elegerit. Respondeat aliquis, quoniam ea celebratissima una avis Asiatica origine fuerit et simul Mercurio lyrae inventori sacra. Audio et probo; sed verosimile est, accessisse etiam aliam rationem magis aptam ad studium jocandi atque ludendi comicis poetis proprium. Insistamus vestigiis, quae apud hunc poetam reperiuntur. Hujus ipsius fabulae Vs. 489 de gallo gallinaceo scriptum legimus: *ὁπόταν μόνον ὄρθριον ᾄσῃ*, et loci Ecclesiazusarum, qui est Vs. 489 sqq., ita:

σὺ δὲ δεῦρ' ἡ κιθαρῳδὸς ἔξιθι
πολλάκις ἀναστήσασά μ' εἰς ἐκκλησίαν
ἀωρὶ νύκτος διὰ τὸν ὄρθριον νόμον,

quo loco Brunckius *τὴν κιθαρωδὸν* gallinaceum intelligendum statuebat, qui *ὄρθριος ᾄδων* dormientes e somno excitaret. Sed egregie fallitur, appellatur enim mola manuaria. Etiam scholiastes voluit: *ἡ ἀλετρίς*, ut scriptum est in praestantissimo uno cod. Ravennate, non: *ἡ ἀλεκτορίς*, quod legitur in edit. Aldina, ob quam pravam scripturam in illum errorem incidisse Brunckius videtur. Sed tenendum tamen, quod mola manuaria *κιθαρῳδὸς* vocatur non simpliciter, sed ratione habita *τοῦ ὀρθρίου νόμου*. Haec verba si posita non essent, sumere liceret, illud solummodo ex eo esse explicandum, quod mola manuaria crepitum edit, quo de conferendus est locus, qui est Ran. Vs. 1304 sqq.:

ἐνεγκάτω τις τὸ λύριον· καίτοι τι δεῖ
λύρας ἐπὶ τοῦτον; ποῦ 'στιν ἡ τοῖς ὀστράκοις
αὕτη κροτοῦσα.

Nunc necessarium videtur, obtemperare etiam scholiastae ad verba *τὸν ὄρθριον νόμον* haec adnotanti: *οὕτω καλούμενος νόμος κιθαρῳδικὸς ὁ ὄρθριος*, pro quo postremo vocabulo rescribendum esse *ὄρθιος*, per se intelligitur. Quibuscum egregie concinunt ea, quae scholiastes adscripsit ad Ranarum Vs. 1315 illustraturus verba *ἐκ τῶν κιθαρῳδικῶν νόμων: Τιμαχίδας *) γράφει, ὡς τῷ ὀρθίῳ νόμῳ κεχρημένου τοῦ*

*) De Timachida vide quae disputaverunt Ferdinandus Rankius noster «de lexici Hesychiani orig.» p. 113 sqq. Otto Schneiderus «de veterum in Aristophanem schol. fontibus» p. 91, Julius Richterus «de Aeschyli, Sophoclis, Euripidis interpr. Graecis» p. 63 sq.

Αἰσχύλου καὶ ἀνατεταμένῳ, sic enim scribendum. Secundum haec existimare licebit, Aristophanem etiam ideo gallum gallinaceum fecisse citharistam, quod is quasi *ὄρθριον νόμιον* caneret, ludentem verbis *ὄρθριος* et *ὄρθιος*. Edit autem et ipse gallus gallinaceus sonum *ὄρθιον* h. e. altum et magnum. Ob id ipsum, ut mea fert sententia, *αὐλὸς* dicebatur *ἀλέκτωρ* ab Ione Chio loco apud Athenaeum servato lib. IV. p. 184, f. Quo cum dicto sitne id comparandum, quod repraesentatum est in gemma musei Regii Berolinensis descripta a Toelkenio libri, quem inscripsit: «Erklärendes Verzeichniss der antiken vertieft geschnittenen Steine der Königlich Preussischen Gemmensammlung», p, 418, 233, dubitari quidem potest, sed videtur haud inepte statui posse. Ut plurimum tamen gallus gallinaceus, utpote Mercurio sacer et *ὄρθριος κοκκύδων ὄρθια κηρύγματα*, ut utar verbis a Theocrito, VII, 123 sq., et Sophocle, Electr. Vs. 683, positis, cogitabatur tanquam praeco et tubicen atque buccinator et hoc scitissime; tuba enim etiam praecones uti solebant et omnino ii, qui signum dare vellent, cfr. v. c. Aeschyli Eumen. Vs. 536 sqq. et quae ad hunc locum adnotavit scholiastes, ob quam caussam vel Dianae praeconis vice fungenti, quam apte *Ἀγυρίαν* nominat Graeco vocabulo, in numo Agyrinensi pridem publicato a principe Torremuza, Sicil. vet. num. tab. XI, 3, in manum sinistram esse datam, docuit Theodorus Panofka commentationis, quae inscribitur «Von dem Einfluss der Gottheiten auf die Ortsnamen», part. I. p. 41; et ab altera parte idem instrumentum musicum ad sonum vehementem edendum per erat aptum. Dabo nonnulla ex multis exempla. Apud hunc ipsum poetam, Ecclesiaz. Vs. 30 sq. sic scriptum legitur:

ὥρα βαδίζειν, ὡς ὁ κῆρυξ ἀρτίως
ἡμῶν προσιόντων δεύτερον κεκόκκυκεν,

ubi gallum gallinaceum intelligendum esse certissimum est, quem Sophoclem vocasse *κοκκόβοαν ὄρνιν* Eustathius refert p. 1479, 44; similia plura ministrarent Comicorum reliquiae, si his uti animus esset: Phrynichus App. Soph. p. 21, 24: *Ἀΐδειν ἀλεκτρυόνας: Ἀττικῶς· τὸ δὲ κοκκύζειν κωμικοὶ λέγουσιν.* Porro Lucianus Ocyp. Vs. 114 haec posuit:

ἐπὶ δ' ἀλέκτωρ ἡμέραν ἐσάλπισεν.

Denique Petronius galli cantum his verbis significavit Satyricon cap. 74: *buccinus signum dedit.* Quibus cum verbis componendam esse gemmam, quae repraesentata est Mus. Florentin. Tom. II, tab. CXII, 4, jam Boettigerus monuit script. min. Vol. III p. 462 adn. 99. Eodem referenda est ea, de qua dixit Toelkenius l. c. p. 419, 241, exhibens illa gallinaceum *lituo canentem.* Neque tamen desiderantur omnino artis antiquae opera, quae comparari possint cum eo, quod hac in fabula finxisse Aristophanem vidimus; immo sunt, quae propterea, quod citharistas exhibent monstrosos, quorum corpora ex una parte viros referunt vel juvenes et ex altera gallos gallinaceos, ad normam ejus, quod hic poeta excogitaverat, directa esse videri possint. Una ejusmodi figura jam in Gorlaei dactyliotheca, Vol. II. loco 482, repraesentata est; quam his verbis descripsit Jacobus Gronovius p. 40: «monstrum Sirenis quasi virilis, ut superior pars sit humana, inferior ex volucri praesertim gallinaceo, citharam pulsantis, cum stella in tergo». Duae aliae, quarum prior aut eadem est atque illa aut certe simillima, publicatae illae libri, qui inscribitur «Cabinet de pierres antiques», tab. 230, 482 et Montefalconiani illius, cui ab antiquitate explicata nomen inditum est, a Schatzio in brevius redacti tab. 42, a Vossio tractatae sunt epistol. mythol. argum. Vol. II. p. 59 ed. II. Etiam hic vir doctus Sirenas masculos agnovit. Porro Gerhardius libri paullo supra citati Vol. I. p. 100 et 101 adnot. 139 gemmam vitream commemoravit, quae citharoedum corpus gallinaceum habentem exhibet. Summus archaeologus itidem cogitat de Sirenibus masculis, gemmas illas Romanae esse originis animadvertit. Denique similem figuram juvenilem esse in pictura quadam Herculanensi repraesentatam, narrat Guilielmus Bechius adnot. ad libri, quo artis opera, quae museo Borbonico continentur, publicata sunt, Vol. VII. tab. L. LI. LII. p. 8. Ejusdem voluminis in tab. LII exhibita est imago figurae simillimae, sed loco citharae geminas tibias manibus tenentis. Quae si non exstaret, fieri facile posset, ut illis imaginibus effingendis primam ansam praebuisse Aristophanem putaremus. Jure enim suo aliquis quaerere posset, qui factum esset, ut nulla reperiretur, nisi quae citharistam vel citharoedum repraesentaret. Jam illud multo

minus certum videbitur. Tamen conjicere liceret, citharistas vel citharoedos secundum Aristophanis inventum esse primum effictos, tibicines secundum talia dicta, quale est illud Ionis Chii, quod supra commemoravimus. Sed neque haec sententia ei, qui accuratius in rem inquisiverit, non videbitur dubitationem habere. Quaeritur, utrum omnes illae imagines eodem sint loco habendae, an minus. Quod posterius si affirmatum fuerit, ego illas conjecturas stare posse negabo cum aliis de caussis tum propter stellam, quae in nonnullis exemplaribus juxta illam figuram conspicitur. Hanc stellam non esse cum ea componendam, quae saepius juxta gallinaceos in numis quibusdam et aliis artis operibus invenitur repraesentata, gallum illa, ut videtur, noctu et primo mane canentem indigitans, persuasissimum habeo; sed etiam eam potius eo ducere debere, ut Sirenas masculos repraesentari illis figuris arbitremur, demonstrare posse mihi videor. Verum haec hactenus. — Jam transeundum est ad id, ut inquiramus, qui fiat, ut, quum tamen tres tibicines sint, ii non simul vel potius continuo prodeant, sed postquam primus orchestram ingressus est, interveniat citharista. Ad haec ita habeo respondere. Tibiae cantum dominatum esse in theatro vetere constat. Ergo vero est simile, eum, qui primas partes ageret inter musicos et concentum musicum moderaretur, — quem ut plurimum etiam modos fecisse probabile est, — tibicinem fuisse. Hunc duxisse agmen musicorum, vel per se certum videri potest. Eam igitur personam hac in fabula sustinuit phoenicopterus. Et observa, quam etiam hoc fuerit ad illud aptum, quod hanc avem statura sua reliquas, quae musicos agebant, longe superasse, vel locus Juvenalis supra p. 37 citatus monstrat. Contra vulgo majore in dignatione quam tibicines erant citharistae et imprimis citharoedi, ita ut saepius adnotatum reperiamus, tales musicos, qui ad majora adspirarent vel idonei essent, ut Phrynis, de quo cfr. schol. ad Nub. Vs. 967 et Suidas s. v., e tibicinibus factos esse citharoedos. Hinc videtur explicandum, quod gallinaceus post ipsum phoenicopterum prodit secundo loco, principem illum quidem musicum, ut par erat, sequens, sed secundarios tibicines antecedens. Accedit, quod eam ipsam ob caussam, quod unus tantum est citharista, plures vero tibicines atque

inter hos unus, qui celebrior sit et reliquos antecellat, illum unum citharistam vel per se melioris notae musicum fuisse, quam hos duos tibicines, credere par est. — Per hanc occasionem etiam id est agendum, ut accuratius quaeramus, utrum quid paullo reconditius subsit ei, quod supra p. 42 sq. exputavimus, gallum gallinaceum et alteram upupam juvenes fuisse, an in eo sit acquiescendum, ut illud ideo sic esse ab hoc poeta institutum credamus, ut non opus haberet illas duas aves cristis instructas inducere, ne ipsi deesset facultas illo, de quo exposuimus, modo ludendi vocabulo λόφος. In qua quaestione adeo difficilis est conjectura veritatis, ut ei prorsus conficiendae me idoneum non esse lubentissime profitear. Agitur etiam de eo, ut dijudicemus, utrum probabile sit, illas duas aves solas juvenes productas esse, an idem etiam de reliquis duabus avibus ad musicos chori pertinentibus statuendum videri debeat. Alterum hocce esse non probabile, facile fieri potest ut sibi persuadeat, qui artis opera in auxilium vocaverit. Quippe in his, paucis admodum exceptis exemplis, tibicines conspicimus non barbatos et magis juveniles repraesentatos; sic in celeberrimo illo Parthenonis zophoro et in pictura vasis in Etruriae agris, quos olim Volcientes tenuerunt, effossi, quam nuperrime eximie expressam publicavit Gerhardius libri, qui inscribitur »Etruskische und Kampanische Vasenbilder des Königlichen Museums zu Berlin», tab. III; sic in pluribus vasis, quae repraesentari jussit Panofka l. c. fasc. I. tab. IV; sic etiam in Cyrenaica illa parietis pictura a Pachone edita tab. XLIX. Nec desunt alia, quibus illa sententia commendari posse videatur. Sed quidni per se sit credibile, diversos aetate productos esse tibicines? Nam, revera nullum virum maturae aetatis artem tibiis canendi exercuisse, si quis contendere vellet, ineptus esset. Imprimis eum, qui phoenicopteri personam induerat, non sine specie veri contendere licebit duobus reliquis aetate paullo fuisse provectiorem. Aliter atque de tibicinibus, res se habet de citharistis vel citharoedis in artis operibus repraesentatis. Observavit enim jam Gerhardius l. c. p. 6, de Graecae, opinor, artis agens operibus *), citharoedos ut plurimum

*) Romano aevo citharoedos barba rasa vel potius volsa prodisse,

exhibitos esse barbatos atque aetate matura. Hoc imprimis valet de picturis, sed non omnino; nam inveniuntur vel in his fidicines non barbati et juvenes, quo de cfr. v. c. Panofkae et Pachonis librorum tabulae citatae. In zophoro Parthenonis duo sunt fidicines barbati, duo non barbati. Subesse autem his duobus diversis fidicines fingendi modis rationem aliquam constantem, v. c. eam, ut altera pars tantum citharistae habendi sint, altera citharoedi, negandum est, siquidem de cunctis Graecae artis operibus agitur; sed, ubi in uno eodemque plures fidicines inveniuntur repraesentati diverso illo habitu, sane istiusmodi vel simile aliquod discrimen videtur agnoscendum. Qui in zophoro Parthenonis fidicines sunt barbati, eos citharistas esse, qui non sunt, eos citharoedos, tantum non certum videtur. In Cyrenaico illo artis opere unus ille fidicen, qui barbam non habet, in medio choro cantatorum collocatus est, contra duo illi, qui cum barba conspiciuntur, sine choro sunt. Ergo neque huic disquisitionis nostrae parti ex artis operibus quidquam firmi adminiculi comparari potest. Sequitur enim certo quidem nihil nisi hoc, fuisse apud Graecos et barbatos atque in maturiore aetate constitutos et imberbes atque juniores fidicines, id quod ita fuisse, vel per se satis credibile est. Itaque equidem in eo acquiescam, ut, quum licuerit huic poetae tam juniorem aliquem quam provectiorem aetate fidicinem producere, eum credam illam elegisse aetatem, quae ipsi ad alia, quae machinabatur, efficienda magis esse apta videretur. Quod vero ad tibicines attinet, rem suam scite sic mihi videtur egisse, ut principem musicum aetate fingeret provectiorem, duorum vero reliquorum aetatem variam, quod quum ob variationem jam per se haud male esset institutum, tum facetissimo poetae simul etiam potestatem fecit illius, quod indigitavimus, consilii secundarii exsequendi. — Denique contendat aliquis, poetam ipsum de discrimine inter gallum gallinaceum et tres reliquas aves intercedente monuisse vel expressis verbis, quum illum *ὀρεβάτην* appellaverit, his vero nihil tribuerit nisi *λόφους*; sequi autem ex hoc, illius cothurnos fuisse altiores, quam harum

---

discimus v. c. ex iis, quae Xiphilinus de Nerone excerpsit, atque in ectypo, quod delineandum curavit Winckelmannus Monum. ined. 189, imberbis conspicitur citharoedus.

κρουπέζια. At enim vero verba λόφον, ἡ λόφωσις, ἐπὶ λόφων, quae sunt Vss. 279, 291, 293, etiam ad gallum gallinaceum referenda esse vidimus. Praeterea facile est ad intelligendum, vocabulum ὀμβάτης etiam eam ob caussam non esse cum pulvisculo excutiendum, quod non est ab ipso poeta profectum, sed secundum Aeschylum, ut constat, positum. Hoc tamen certum videri debet, fuisse aliquid discriminis inter haec calceamenti genera, etiam quod attinet ad altitudinem; et cothurnos quidem scimus altissimos fuisse, de quo cfr. imprimis quae disputavit Boettigerus de personis tragicis agens script. min. Vol. I. p. 282 sq. adhibitis iis, quae monuit Meinekius l. c. Vol. II. P. I. p. 91. Dolendum est admodum, quod nihil accuratius scimus aliunde de eo calceamenti genere, quo in theatro Atheniensi utebantur chori tibicines. Quaerendum est imprimis, utrum κρουπέζια in hoc usurpata eadem fuerint atque ea, quibus in vita quotidiana utebantur Boeoti, an diversa ab his, sed leviter tantum, ita quidem ut saltem non singula tantum gestarentur a singulis tibicinibus, an omnino similia scabillis Romanorum. Quod primo loco posuimus negatur a Boettigero p. 54 sq., utrum jure, an minus, penes alios judicium esto. Ad alterum quod attinet, moneo, non esse non probabile sensim per varios gradus ex calceamento, quo vulgo utebantur Boeoti arti tibiis canendi plurimum studii impendentes, orta esse scabilla. Pro eo, de quo monui tertio loco, haec afferri possunt. Apud Photium, Lex. p. 180, 21, haec leguntur: *Κρουπέζαι: ξύλινα ὑποδήματα οἱ δὲ κρόταλον, ὃ ἐπιψοφοῦσιν οἱ αὐληταί, τὸ βάταλον.* Porro scholiastes Aeschinis haec habet l. c.: *καὶ νῦν δὲ οἷα καὶ* (legendum videtur Meinekio *οἱ αὐληταί*) *ὑποπόδιον διπλοῦν ὑπὸ τὸν δέξιον πόδα ἔχοντες, ὅταν αὐλῶσι, καταπρούουσιν ἅμα τῷ ποδὶ τὸ ὑποπόδιον, τὸν ῥυθμὸν τὸ αὐτὸ* (»fort. *τὸν αὐτὸν*», Meinekius, non inepte, sed fieri etiam potest, ut homo aliud quid voluerit) *συναποδιδόντες, ὃ καλοῦσι βάταλον.* Quod his verbis describitur non tam est calceamentum, quam instrumentum musicum calceamento simile non diversum omnino a scabillo Romanorum, quod hodie quoque in praeclaro illo Satyri signo Florentiis asservato, cfr. Mus. Florent. Stat. tab. LIII, et in aliis conspicitur. »Scabellum», Forcellinius inquit Lex. s. v., »est instrumentum musicum, quod a tibicine in

scena pede pulsabatur, dum manu et ore tibiam inflaret: simile parvo suppedaneo ligneo concavo, quod lignea itidem solea aut ferrea pedi indita percutiebatur, ut vult Salm. (loco supra p. 42 citato), vel ligneae sculponeae altiori et fissae, quae agitatione et ictu pedis strepebat, ut est in figura apud Montfauconium (tab. CV, 36 ed. Schatz.), Rubenium de re vest. l. 2 cap. ult. et Spon. Miscell. c. 21.» Hoc vero instrumentum demum apud Romanos in consuetudinem venisse, quam vulgatam sententiam etiam Schneiderus professus est l. c. p. 104, demonstrari omnino nequit. Mihi potius plus quam probabile videtur esse, jam apud Graecos exstitisse. Signum illud Satyri Florentinum Henricus Meyerus libri, qui inscribitur »Geschichte der bildenden Künste bei den Griechen und Römern», Tom. III, p. 81 temporis spatio, quod medium est inter Alexandri Magni et Augusti tempora, elaboratum esse censet. Quaeritur tantummodo, num jam in theatro Attico et Aristophanis temporibus fuerit usurpatum. De qua re quia nihil est memoriae proditum ab aliis scriptoribus veteribus, restat, ut accuratius circumspiciamus, possitne aliquid ex ipsis hujus poetae verbis effici. Et profecto jure mirum videri potest, quod, ubi de singulis avibus sermo est, singuli tantum commemorantur *λόφοι*, vid. Vs. 279 et Vs. 290, quod vocabulum quum ad soleas referendum esse, quibus incedebant musici, supra ostenderimus, in proclivi est credere, singulos gestasse singulas altiores soleas. At enim aliquis objiciat, gallum certe gallinaceum in duabus incessisse, quum cothurnos gestaverit. Ajo et ipse. Sed non est opus, versum 279 ita interpretari, ut verba *ἕτερος αὖ λόφον κατειληφώς τις ὄρνις* repectu phoenicopteri simul et galli gallinacei dicta existimentur; immo ea egregie ad unum solum phoenicopterum referre licet. Quod si fit, non est, cur verba ipsa, siquidem ad vivum resecantur, non dicamus pro singulis potius quam pro binis tibicinum soleis altioribus facere. Ergo id instrumentum musicum, de quo loquitur scholiastes Aeschinis, et illa scabilla habemus testata. Et profecto, ita si statuitur, etiam facilius intelligitur, cur Pisthetaerus tantopere miretur illam *λόφωσιν* sic comparatam, *ὥστε τὸ πρᾶγμα ἐοικὸς εἶναι τραγῳδῷ τὸν ἕτερον μὲν πόδα ἐπ' ἐμβάτου ὑψηλοῦ ἐπιβεβηκότι, θατέρῳ δὲ σάνδαλον ὑποδεδε-*

μένῳ, quam rem ridet Lucianus quomodo hist. sit conscr. c. 22. Non audemus affirmare, immo probabile non ducimus, hoc habitu semper orchestram *ingressos* esse tibicines, praesertim si tragoediae agerentur; satis erat, ut *in ipsa orchestra versantes* sibi induerent illud, si jam etiam vocare licet, calceamentum; sed, si illa, quae modo disputavimus, non fuerint non probata, concedendum erit, tum, quum haec fabula agebatur, factum esse, idque aptissime ad risum movendum, et omnino illud sive calceamenti genus sive instrumentum musicum non fuisse alienum a theatro Attico. Praeter hoc chori tibicines etiam calceos gestasse, probabile est, quanquam, ii quales fuerint, hodie non potest exputari. Haec addi possunt iis, quae supra p. 50 disputavimus. Redeat jam ad id ipsum, unde digressa est, oratio. Quum jam appareat, vocabulum λόφον, quod est Vs. 279, non esse necessario etiam ad gallum gallinaceum referendum, immo verosimile esse, id non spectare nisi ad phoenicopterum et ad alteram upupam, jure nobis videmur ex eo, quod ille ὀρεβάτης vocatur, his vero et ei avi, quae κατωφαγᾶς appellatur, tantum λόφος tribuitur, concludere posse, poetam ipsum id egisse, ut illam avem citharistam altioribus uti soleis, quam has aves tibicines significaret. Negari quidem nequit ex nostra sententia, vero esse simile, ut verba ἢ λόφωσις et ἐπὶ λόφων, quae sunt Vs. 291 et 293, spectent etiam ad soleas galli gallinacei, sed hoc nihil refert. Ea enim verba sunt in universum dicta, et quum unum solum gallum gallinaceum, ut hoc utar, in ὄρεσι incedentem conspiceret Pisthetaerus, reliquas vero aves omnes λόφοις innixas, vel ob hanc caussam concedendum est, consentaneum esse, ut eum, ubi non, ut antea, accuratius de singulis, sed universe loquitur, potissimum τῶν λόφων credamus rationem habere potuisse; quamvis τὰ ὄρη simul intelligi volentem. Sin tamen cui videantur illa verba potius ad tres reliquas aves solas referenda esse *), jam equidem non repugnabo omnino; postquam enim demonstratum est accuratius, quid sibi vellent ii, qui λόφοι appellantur, non adeo difficile est ad credendum, eam rem ita te-

*) Sed tum necessarium erit, ut id, quod supra p. 40 adn. de quaternis valere diximus, ad ternos referamus homines.

nuisse Pisthetaerum, ut multo magis stuperet in his *λόφοις*, quam in iis, quae vocantur *ὄρη*, et illos solos respiceret quaerendo. Porro verum quidem est, verbum *ὀρεβάτης* ideo quod aliunde est sumptum, ut integer ille versus, ad quem pertinet, a priori videri posse non nimis esse ad vivum resecandum, sed fatendum tamen, vel per se magis esse poetam laudandum, si eo vel sic accuratissime sit suam in rem usus; et vidimus jam supra, valere hoc sane de voce *μουσόμαντις*, cujus eadem ipsa est conditio. Quae quum ita sint, nos certe eo inclinamus, ut putemus illis verbis probari posse, tam gallum gallinaceum alius generis musicum esse habendum atque reliquas aves, quam eum citharistam agere, et vice versa, in theatro Attico citharistas solitos esse tam altas gestare soleas, eae ut altitudine superarent *κρουπέζια* et forsan etiam soleas calceorum, quibus utebantur tibicines, conjunctas.

Epilogus. Quaeritur, num praeter illos, qui adhuc commemorati sunt, etiam alios musicos prodisse et Avibus agendae operam navasse probabile sit. Strictim agitur de musicis ad scenicos pertinentibus. Tibicines scenicorum geminis tibiis usos esse, probatur etiam testimoniis ex aliis Comici fabulis petitis. Quaeritur utrum quattuor illi chori tibicines personati fuerint an minus; duos reliquos non fuisse, probabile redditur. Disputatur paullo accuratius de ratione, qua proderunt musici ad chorum pertinentes; de loco, ubi antequam agerentur fabulae et inter ipsam actionem degerint; utrum steterint an scederint in orchestra versantes; ubi musici ad scenicos pertinentes morati sint si canerent non adspectabiles.

Iis quae adhuc disputavimus de musicis agentes, nisi infirma omnino sunt atque inepta, effecisse nobis id videmur, ut universae illius doctrinae de antiquitate scenica partis, qua de musicis agitur, nimis adhuc neglectae et tantum non ignotae, non solum fundamenta jacta sint, sed etiam singula quaedam capita ad liquidum perducta et in clarissima posita luce. Ab iis, quae vel certa reddidimus demonstrando vel saltem verosimilia conjectando unam hanc Comici fabulam spectantes, si quis voluerit proficisci, jam aliquanto tutius, opinor, quam antea universum illius doctrinae campum emetiri poterit. Nobis, ad tempus quidem, intra angustiores quosdam fines consistendum erit. Ergo de iis, quae adhuc vel dedita opera tractavimus vel in transcursu attigimus, eam, quae inter dis-

putandum prolata sunt, jam satis habeo dixisse. Sunt vero, quae adhuc non potuerint commode agitari disserendo et tamen digna videantur et apta, quae vel in hac scriptione Aristophani et imprimis Avibus fabulae illustrandae dicata percenseantur. De his igitur nobis disputationem de musicis scenicis apud Aristophanem, quoad ejus fieri poterit, absoluturis jam agendum erit paullo curiosius.

Qui ea contulerit, quae a Genellio in nostram rem sunt disputata l. c. p. 151 sqq., videbit, hunc quoque virum, non doctum quidem, sed tamen elegantem postulare tres chori tibicines, at longe aliis ductum rationibus, quae mihi quidem videntur infirmissimae. Accedit quod Genellius illud nisi de tragoediis non videtur statuisse; comoedias enim non nominat, et, si ea, quae p. 157 posuit de choro comico duos tantum *κορυφαίους* habente, comparata fuerint cum eo, quod p. 152, 155, 156 dixit de tibicinibus chori tragici ad *ἡγεμόνα* et binas chori alas vel *κορυφαίους* pertinentibus, fatendum erit, eum, ut sibi constaret, comico choro non potuisse nisi binos tribuere tibicines. Sed praeterea Genellius etiam scenicis singulos affuisse tibicines statuebat p. 151, cfr. etiam p. 153 sq. Cautius quam curiosius de rebus huc spectantibus egit Schneiderus l. c. p. 215. At neque illud, quod a Genellio positum postremo loco commemoravimus, ullo, quod nos quidem sciamus, certo testimonio constat. Non sane facere pro hac sententia tales tibicinum in scena versantium commemorationes, quales reperiuntur Acharn. Vs. 862 sqq., Vesp. 1342, 1368 sqq., Thesmophoriaz. 1175 et, ut videtur certe, aliis locis paullo infra indicandis, facile est ad intelligendum. Quod ad nostram fabulam attinet, ne hoc quidem jure contendi potest, fuisse Procnen Upupae vel corvum sacerdotis, (cui ea, quae leguntur inde a Vs. 831 aeque atque ea, quae sunt Vs. 895 sqq., tribuenda esse infra demonstrabimus) tibicinem, eo quidem sensu, quo vult Genellius. Alios autem, praeter eos, de quibus vidimus, in hac fabula agenda in conspectum venisse tibicines, quum ne verbo quidem significetur, haud ita facile, ut credat, a se impetrabit, qui observaverit, vel eorum, qui ad chorum pertinebant, tibicinum a poeta esse mentionem factam. Fuisse tamen in fabulis agendis praeter musicos chori etiam alios occupatos, qui scenicis

cantantibus responsarent aut in proscenio versantes simul cum hisce aut non adspectabiles, negari nequit. Testatum reperimus apud Aristotelem, problem. XIX, 9 et 43, monodiis, quae dicuntur, adspirasse lyram et imprimis tibiam. Quaeritur, utrum hoc factum sit eorum, qui ad chorum pertinebant, musicorum opera, an aliorum quorum. Hac in fabula in monodia Upupae, ut vidimus, fiebat per lusciniam, ei tamen, quam sacerdos canit, ut vel ea docent, quae supra p. 45. diximus de Vs. 857, aut lyram adspirasse censendum est (quo probato negotium responsandi gallo gallinaceo tribuere liceret, at mihi quidem prorsus non est credibile, lyrae cantum auditum esse) aut nullum omnino instrumentum musicum; sed *post ipsum canticum cantatum* tibiis canebat corvus. In Vespis quae cantantur a Philocleone Vs. 1325 sqq. si tibiam habuerunt adspirantem, ejus fuisse tibicinae, quam ille secum duxerat, probabile est. Ecclesiazusarum Vs. 890 sqq. quem anus appellat tibicinem, ut monodiis accinat, eum non fuisse ex iis, qui ad chorum pertinebant et in orchestra versabantur, sed comitem ipsius anus in proscenio stationem habentem, quovis pignore contenderim. Illa quatenus apte cogitari possit comitante tibicine progressa esse, ex loco, qui est Vs. 877 sqq., accuratius perpenso elucet. Ranarum Vs. 1304 sqq. Aeschylus, quum Euripidia quaedam cantaturus est, lyram poscit et mox anum testis crepantem. Ergo illis versibus non accinuit is citharista, qui ad chorum pertinebat. Hinc, ut in transcursu moneam, forsan conjecturam capere liceat, poetam, qui inducitur hujus de qua agimus, fabulae Vs. 904 sqq. et Cinesiam dithyramborum poetam, qui post Vs. 1371 in scenam ingreditur, si ea, quae canunt, carmina, citharam vel lyram habuerint adspirantem, tale instrumentum musicum ipsos secum attulisse. Quin Lysistratae loco, qui est Vs. 1242 sqq. vel choro Lacedaemoniorum et, ut videtur saltem, Atheniensium concinit tibicen ad chori tibicines non pertinens; is enim tibicen illis hominibus et antea aderat inter comissandum, ut mos ferebat, et postea ipsos ex aedibus egredientes comitabatur. Secundum haec, si vera sint omnia, quae diximus, probabile videri potest, monodiis, quae proprie appellantur, et omnibus carminibus ad alios, quam ad chorum proprium pertinentibus, si instrumenta musica ha-

berent adspirantia, vulgo non concinuisse chori musicos, sed alios, ad solos scenicos pertinentes, eosque certe ut plurimum in proscenio versantes; quae sententia vel per se habet, quo commendetur, et egregie concinit cum iis, quae testimoniis scriptorum veterum nixus disputavit Salmasius adn. ad Scriptores H. A. p. 824 sq. — In Ranis inde a Vs. 1264 Euripides Aeschylia quaedam et Aeschylus Euripidia quaedam recitant. Ex illis quae priore loco posita sunt, tibiam habent adspirantem, quae posteriore, citharam vel lyram; haec lyram. Ante illum versum in libris mscr. haec reperiuntur posita: *διαύλιον προσαυλεῖ τις*, ad quae haec verba adnotaverunt scholl. Rav. et Ven.: *τοῦτο παρεπιγραφή, ὥσπερ καὶ ἄλλα πολλάκις· φασὶ δὲ διαύλιον λέγεσθαι ὅταν ἡσυχίας πάντων γενομένης ἔνδον ὁ αὐλητὴς ᾄσῃ*; cfr. Schneideri l. c. p. 215. Igitur quisquis haec scripsit, existimasse videtur, tibicinem cecinisse ad chori musicos non pertinentem. Idem id ipsum statuerit de eo, qui subinde cithara concinit Euripidi, necesse est. Atque eum jure ita fecisse, ea demonstrant, quae Vs. 1304 sqq. Aeschylum deprehendimus agentem. Is enim quum in eo est, ut Euripidia illa canat, lyram poscit et mox anum testis crepantem prodire jubet; certum est igitur, versibus Euripidis ab Aeschylo recitatis non concinuisse citharistam, qui ad chorum pertinuerit. Secundum haec, quae de Ranarum loco effecimus, judicandum erit de iis, quae in ea, de qua agimus, fabula canuntur a Poeta, Vs. 904 sqq. et a Cinesia dithyramborum poeta, qui post Vs. 1371 in scenam ingreditur, — sed quid tum usu veniebat, quum carmina cantabantur, choro et scenicis communia, quae carmina *κομμοὶ* appellantur Graeco vocabulo? Num iis, quae a scenicis canebantur, proprius quidam musicus responsabat, an unus ex iis, qui choro concinerent? Talis commus hac in fabula reperitur inde a Vs. 400. De hoc facile quidem aliquis hanc ferat sententiam, ut Upupae concinuisse Procnen probabile esse dicat. At id mihi quidem non est credibile, partim ea de caussa, quod luscinia alias semper expressis verbis excitatur ad canendum, partim ideo, quod hunc celeberrimum unum musicum fuisse verosimile ducimus. Non nego equidem, fieri posse, ut unus ex tibicinibus chori responsandi negotium suscepisse putetur. Sed quidni statuere liceat, ali-

quem tibicinem non adspectabilem Upupae concinuisse? Sed haec, quae haud tanquam certa posui decreta, aliis me doctioribus atque acutioribus relinquo judicanda. — Tibicines non ad chorum pertinentes, aeque atque de luscinia et de corvo jam supra conjecimus, geminas habuisse tibias, apparet etiam ex locis Lysistratae atque Ecclesiazusarum modo citatis; utroque enim loco quamvis de uno solo tibicine sermo sit, appellantur tamen, illo: *τὰ φυσατήρια* et *αἱ φυσαλλίδες*, hoc: *οἱ αὐλοί*. Geminas tibias quum in Avibus agenda ita gestatas esse ab avibus chori tibicines repraesentantibus consentaneum sit statuere, eae ut apte referre rostra aperta videri possent, facile aliquis eo inclinet, ut censeat, illis avibus personas fuisse, in quibus fixae essent tibiae. Aves universas personatas fuisse, recte jam Genellius monuit l. c. p. 260, adn. 17 aliis ductus rationibus, atque etiam nos id ipsum saltem in gallum gallinaceum cadere certo affirmare audemus. Sed alia res est de avibus tibicines agentibus. Tibicines etiam alias personis caruisse, de rationibus, ut mihi quidem videtur, satis idoneis contendit Genellius p. 154. Utrum igitur potius statuendum erit, eas tres aves solummodo inter ingrediendum, per quam occasionem reliquae nihil, phoenicopterus pauca admodum canebat, personas gestasse easque postea, quum spectatoribus terga obverterent, deposuisse; an credibilius videbitur, *Comico* condonatum esse, quod postularet, ut geminae tibiae manu tentae pro rostris haberentur? Hoc certissimum est, neque lusciniam neque corvum gestasse personas videri posse vel eam ob caussam, quod capistra habuerunt. — Ratio, qua chori musicos ingredientes deprehendimus in orchestram, singularis est. Prodeunt enim illae aves non simul cum choro, sed, quamquam paullo, tamen ante, quam hic progreditur in orchestram; porro neque ipsae adveniunt una, sed per intervalla, alia post aliam. Diversa est ea prodeundi ratio, qua uti solitos esse tibicines sibi finxit Genellius l. c. p. 155. Dubitari omnino potest, utrum *una tantum* fuerit, an variae. Quod ad hanc, quam in Avibus videmus usu venisse, attinet, eam ipsam facile alicui videri possit ea de caussa secutus esse poeta, ut ipsi occasio esset explicandi, jocandi, satyram adhibendi ita, ut fecit. Attamen, ex mea quidem sententia, Comicus hoc modo minus bene rem

suam egisset, si ejusmodi prodeundi ratio omnino insolita fuisset. Dubium esse non potest, quin musici chori per eandem portam ingressi sint in orchestram, per quam chorus ipse subinde advenit. Sic enim mos ferebat; neque secus factum esse quum haec acta fabula est, tam ex iis, quae supra p. 52 monita sunt de soni a phoenicoptero editi ratione, apparet, quam eo veri redditur simile, quod intervalla, per quae illae aves musicos agentes singulae prodeunt, fere aequa sunt ei, quod est inter processum ejus, quae *κατωφαγᾶς* appellatur, atque earum avium ad choreutas pertinentium, quae primae prodeunt; qua re fieri potest ut significetur a Comico, quattuor illas aves non efficere agmen, quod unum totum esse et per se stare putandum sit, sed universas cum iis, ex quibus chorus constat, aeque cohaerere atque singulas inter sese. Per hanc occasionem non possum, quin moneam, musicos, priusquam prodirent ad canendum, commorari solitos esse in ea theatri parte, quae a re ipsa vocabatur *τὸ ὑποσκήνιον*, de qua jam Genellius l. c. p. 47 rectius statuerat, quam Schneiderus p. 8 sq. et p. 77 sq. Sequitur illud ex verbis Athenaei, quae sunt XIV, p. 631, hisce: *ὅθεν καὶ Ἀσωπόδωρος ὁ Φλιάσιος, κροταλιζομένου ποτέ τινος τῶν αὐλητῶν, διατρίβων αὐτοὺς ἔτι ἐν τῷ ὑποσκηνίῳ, τί τοῦτ'; εἶπεν· δῆλον ὅτι μέγα κακὸν γέγονεν· ὡς οὐκ ἂν ἄλλως ἐν τοῖς πολλοῖς εὐδοκιμήσαντος.* — Sed quaeritur porro, quo orchestrae loco chori musici stationem ceperint. Tibicines — neque enim sermo est apud hos viros doctos nisi de tibicinibus — stabant, si Genellium audis (cfr. l. c. p. 156) juxta *ἡγεμόνα* et *κορυφαίους*, si Odofredum Muellerum (cfr. dissert, quae inscribitur: Anhang zu dem Buche: Aeschylos Eumeniden, Gottingae a. 1834 in publicum edit. p. 36.) in ipsa illa Bacchi ara, quae Graece appellabatur *θυμέλη*, ita quidem, ut prius magis recesserint, Pratinae vero junioris aetate et omnino iis temporibus, quibus tibicines impotentissime dominabantur in orchestra locum maxime in oculos cadentem tenuerint; Schneiderus l. c. p. 8: »zur rechten und linken Seite der Thymele», ait, »führten einige Stufen auf das Bretergerüste der Orchestra, welche nebst dem Gerüste und der Thymele einen von der Mehrzahl der Zuschauer weniger bemerkten Raum umgaben, in welchem die Flötenspieler und der Souffleur

sassen». Dicam primo loco de Schneideri sententia, non hoc quidem fine, ut eam refellam, — esse enim falsissimum universum illud viri docti placitum inter eos, qui rationem theatri norint, constat, — sed ut dicam de re adhuc non observata. Apparet, Schneiderum imprimis id spectatum censuisse, ut musici non nimis essent in conspectu. Quod cur ita fuisse statuamus quum nulla idonea caussa cogitari possit, tum ita non fuisse, sed musicos a capite usque ad pedes cerni potuisse non solum ab actoribus, verum etiam a spectatoribus, elucet ex hujus fabulae Vs. 837, si a nobis supra p. 41 recte est explicatus. Neque tamen in contrariam partem discesserim Muellerum secutus musicos in illa thymela collocantem; quae statio, si erat, — de quo dubito, quanquam bene memini verborum schol. ad Pac. Vs. 734 horum: *ἦσαν δὲ ἐπὶ τῆς θυμέλης ῥαβδοφόροι τινες, οἳ τῆς εὐκοσμίας ἐμέλοντο τῶν θεατῶν*, eorumque, quae ad eum locum congesserunt interpretes — sane aptior erat *τοῖς ῥαβδούχοις*, quam musicis. Sed Muellerus in errorem se induci passus est notis illis Pratinae verbis, quae exstant apud Athenaeum XIV, p. 617 C:

τίς ὕβρις ἔμολεν ἐπὶ Διονυσιάδα πολυπάταγα θυμέλαν;

quae nihil ejus, quod voluit vir summus, *demonstrare* posse, facile intelligitur. Etiam Genellii sententiam falsam esse, jam non amplius est quod moneamus. Sane consentaneum videtur statuere, musicos chori vulgo prope ipsum chorum stationem habuisse, eam tamen, quae non prohiberet, quominus ille commode et libere saltare posset. Quae accuratiora sint, vix certo afferri poterunt. Quin quaeri posse videtur, num omnino *certam* quandam stationem habuerint, *semper unum eundemque* orchestrae locum tenuerint. — Tibicines stetisse existimant reliqui, Schneiderus sedisse. Qui vir doctus cur ita statuerit, nisi eo fine, ut illi etiam minus cerni potuisse viderentur a spectatoribus, nescio. Per se jure contendi profecto non potest, statum impedimento fuisse iis, qui tibiis vel lyris canerent; immo, si quis contrarium affirmare vellet, praesertim quod ad tibicines attinet, magis audiendus foret. Cur musicos chori non sedentis sedisse existimare velimus, quam stetisse et ad partem incessisse, non exputo. Fortassis argutari non videbimur vel morosioribus censoribus, si etiam

in hanc rem usi fuerimus Vs. 837. Quo loco cum gallus gallinaceus dicatur *οἰκεῖν ἐπὶ πετρῶν*, *πέτραι* vero cothurni intelligendi videantur, fatendum erit, illa verba multo melius quadrare ad gallum gallinaceum stantem et in cothurnis nixum, quam sedentem. — His ita disputatis paucis etiam de eo dicamus, quo loco vel quibus locis vulgo degerint ii musici, qui scenicis concinerent cantantibus nec tamen adspectabiles essent. Talem hac in fabula se praestat luscinia, ut vidimus, inde a Vs. 227. Ea quem locum tenuerit, concludi fere potest ex iis, quae leguntur inde a Vs. 202 et Vs. 660. Verum facile est ad intelligendum, lusciniae in hac fabula propriam quandam et singularem esse conditionem. Vel sic tamen non negaverim omnino, etiam alias similiter collocatos fuisse id genus musicos, quos modo dixi. Sed, quum e loco Athenaei paullo supra citato sequatur, proprium musicorum receptaculum in theatro vetere fuisse *τὸ ὑποσκήνιον*, nescio an praestet, musicos non prodeuntes et tamen canentes saltem ut plurimum hoc loco commorantes cogitare. —

III.

De choro.

Post ipsos musicos progreditur chorus inde a Vs. 294:

ΠΕΙΣΘΕΤΑΙΡΟΣ.

Ὦ Πόσειδον, οὐχ ὁρᾷς ὅσον συνείλεκται κακὸν ὀρνέων; 295

ΕΥΕΛΠΙΔΗΣ.

Ὤναξ Ἄπολλον, τοῦ νέφους, ἰοὺ ἰού·
οὐδ' ἰδεῖν ἔτ' ἔσθ' ὑπ' αὐτῶν πετομένων τὴν εἴσοδον.

ΠΕΙΣΘΕΤΑΙΡΟΣ.

Οὗτοσὶ πέρδιξ· ἐκεινοσὶ δὲ νὴ Δι' ἀτταγᾶς·
οὑτοσὶ δὲ πηνέλοψ· ἐκεινοσὶ δέ γ' ἀλκυών.

ΕΥΕΛΠΙΔΗΣ.

Τίς γάρ ἐσθ' οὗπισθεν αὐτῆς;

ΠΕΙΣΘΕΤΑΙΡΟΣ.

Ὅστις ἐστί; Κειρύλος.

ΕΥΕΛΠΙΔΗΣ.

Κειρύλος γάρ ἐστιν ὄρνις; 300

ΠΕΙΣΘΕΤΑΙΡΟΣ.

Οὐ γάρ ἐστι Σποργίλος;

Χαὐτηί γε γλαῦξ.

ΕΥΕΛΠΙΔΗΣ.

Τί φῄς; Τὶς γλαῦκ' Ἀθήναζ' ἤγαγε;

ΠΕΙΣΘΕΤΑΙΡΟΣ.

Κίττα, τρυγών, κορυδός, ἐλεᾶς, ὑποθυμίς, περιστερά, νέρτος, ἱέραξ, φάττα, κόκκυξ, ἐρυθρόπους, κεβλήπυρις, πορφυρίς, κερχνής, κολυμβίς, ἀμπελίς, φήνη, δρύοψ.

Breviter agitur de ea, quae vocatur *εἴσοδος*. Ut appareat, per utram portam chorus sit ingressus in orchestram, quaeritur de loco, quo agi hanc fabulam fingatur deque patria avium, quae chorum efficiunt. In transcursu cum alia explicantur ex verbis poetae supra repraesentatis, tum ostenditur, ea, quibus nomina singularum avium continentur, non Upupae esse tribuenda, sed Pisthetaero.

Quae Vs. 296 commemoratur *εἴσοδος*, aditum orchestrae lateralem esse intelligendum, vix est quod moneam. Sed dignissima, quae adnotetur, haec res est. Illi enim aditus, quum inter rudera quorundam theatrorum veterum in tantum bene agnosci possint, ut, quanta latitudine fuerint, satis accurate liceat aestimare, quo de cfr. quae nuperrime Strackius monuit libri, qui inscribitur »das Altgriechische Theatergebäude», p. 4, de celeberrimo illo Athenarum urbis theatro, nihil ejusmodi constat aliunde. Jam ex illo loco discimus, aditus illos laterales in hoc fuisse latitudine minore eo spatio, quod sex personae alatae explent, si aliae juxta alias ita sunt dispositae, ut libere se possint movere. — Quaerat aliquis, per utrum aditum in orchestram chorus advenerit. Huic quaestioni ut respondere possimus, opus est inquirere, tam quo loco agi hanc fabulam fingat hic poeta, quam quo loco vel quibus locis vulgo versari aves, ex quibus chorus constat, cogitandae sint. De illo Suevernius l. c. p. 20 sq. disputavit ita, ut Athenas ipsas intelligendas esse verosimillimum existimaret. Non, hercle, assentior. Locus, ubi omnia aguntur, is ipse est, ubi habitat Tereus in upupam mutatus. Audiamus jam Aeschylum apud Aristotelem, Hist. Anim. IX,

49, de hoc ita sermocinantem, si verba corrupta recte sanavit Salmasius Plin. Exercit. p. 169:

Ἄσιη δὲ μισεῖ, τῶν δὲ Παλλήνης τόπων
δρυμοὺς ἐρήμους καὶ πάγους ἀποικέει,

quod postremum quidem vocabulum a poeta profectum esse non potest; libri mscr. porrigunt: *ἀποικίσαι*; Heathius reponendum censebat: *ἐποίχεται*. Qui vel solum prologum hujus fabulae perlegerit, eum non fugiet, quam egregie illi *Παλλήνης τόπων δρυμοὶ ἔρημοι καὶ πάγοι* quadrent ad eam regionem, in quam devenientes cernimus Pisthetaerum atque Euelpidem. Sed Phlegraeum campum esse, in quo fabulam agi fingitur, adeo expressis verbis significavit ipse poeta inde a Vs. 812, quo loco postquam Upupam dicentem fecit:

Φέρ' ἴδω, τί δ' ἡμῖν τοὔνομ' ἔσται τῇ πόλει;

porro haec reperiuntur ab ipso posita:

ΠΕΙΣΘΕΤΑΙΡΟΣ.

Βούλει Νεφελοκοκκυγίαν;

ΕΠΟΨ.

Ἰοὺ ἰού·
καλὸν γὰρ ἀτεχνῶς καὶ μέγ' εὗρες τοὔνομα.

ΕΥΕΛΠΙΔΗΣ.

Ἆρ' ἐστὶν αὐτηγὶ Νεφελοκοκκυγία,
ἵνα καὶ τὰ Θεαγένους, τὰ πολλὰ χρήματα,
τά τ' Αἰσχίνου γ' ἅπαντα;

ΠΕΙΣΘΕΤΑΙΡΟΣ.

Καὶ λῷστον μὲν οὖν
τὸ Φλέγρας πεδίον, ἵν' οἱ θεοὶ τοὺς Γηγενεῖς
ἀλαζονευόμενοι καθυπερηκόντισαν.

Phlegraeum autem campum eundem esse Pallenen tantum non certum est, cfr. quae monuit C. O. Muellerus libri a Gerhardio editi, qui inscribitur »Hyperboreisch-Römische Studien für Archaeologie», Tom. I. p. 283 sq. adn. 1. Quae quum ita sint, porro est quaerendum, utram Pallenen intelligi voluerit hic poeta, peninsulamne illam notissimam, an pagum Atticum minus celebratum, de quo hanc conjecturam fecit C. O. Muellerus libri, qui inscribitur »Allgemeine Encyclopaedie der Wissenschaften und Künste», Sect. III. Tom. X. p. 83: »ohne Zweifel war auch dies Pallene als Schlachtfeld der Giganten

und Götter in einheimischen Sagen berühmt, obgleich die herrschend gewordene Mythologie der *Halbinsel* diesen Ruhm zuerkannt hat». Profecto etiam hanc regionem saxosam esse scimus, et simul id quod Trochilus de Upupa sermocinans ita loquitur Vs. 75 sqq.:

οὗτός γ' ἄτ', οἶμαι, πρότερον ἄνθρωπός ποτ' ὤν,
τοτὲ μὲν ἐρᾷ φαγεῖν ἀφύας Φαληρικάς·
τρέχω 'π' ἀφύας ἐγὼ λαβὼν τὸ τρυβλίον.

primo obtutu magis pro hac quam pro cognomine illa facere videri potest. Sed Atticum pagum quominus intelligendum esse censeamus, ut alia taceam, imprimis haec tria prohibent. Primum enim upupam alteram jam supra demonstravimus externam cogitari avem et Thraciam; cujus quum ea, quae ex Tereo mutata in upupam est, se avum dicat, consentaneum est sumere, neque hanc habitare in Attica terra, sed in Thracia. Fuit autem Terei regnum secundum Ovidium in Thracia situm apud Odrysas, cfr. Metam. VI, 491, et regia ipsius prope Rhodopen, cfr. Vs. 590. Etiam loco Aeschylio quin Thracia Pallene sit intelligenda, non dubito, ad quam vel terrae descriptio, quae illo loco legitur, magis quadrat, quam ad pagum Atticum. Deinde vehementer dubito, an Aristophanis temporibus *τὸ Φλέγρας πεδίον* non sit intellectum nisi de Pallene Thracia. Porro ad hanc potius, quam ad pagum Atticum cognominem ducere debet quod Pisthetaerus ab initio fabulae dicit Vs. 5 sq.: se

ὁδοῦ περιελθεῖν στάδια πλεῖν ἢ χίλια.

Ut enim largiamur homini longorum taedio errorum capto atque indignabundo vocabulis uti supra veritatem rem augentibus, ast ita, ut hoc loco factum est, non potuit loqui de pago medium fere Athenas inter et Marathonem locum tenente. Denique demum nostra sententia probata omnino clarum erit, cur Vs. 1040 Nephelococcygienses componantur cum incolis Olophyxi, urbis *ἐν Θρᾴκῃ περὶ τὸν Ἄθω* sitae secundum Stephanum. Quae quum ita sint, apparet, verba Euelpidis Vs. 30 posita ita interpretanda non esse, nt Suevernius censebat. Sed stipes ille avium progressu insuper in stuporem datus eo ipso temporis momento, quo comperit, noctuam adesse, quae avis Athenis, et in arce, crebra est, cfr. verbi caussa Lysistr. Vs. 760 sq., non meminit se non amplius versari in illa urbe

et proverbium illud, quod, quum tritissimum esset, ipsi maxime haerebat in mente, mittit. Simul poeta perquam ingeniose illis verbis de eo commonuit, quod omnia, quae hac fabula aguntur, etsi non aguntur Athenis, revera tamen, tanquam in hac ipsa urbe agantur, consideranda sunt. Quae praeterea allata sunt a Suevernio ad illam sententiam fulciendam, non est quod dedita opera refutemus. — Reliquum est, ut exputetur, quibus terris vel qua terra Comicus oriundas finxerit aves, ex quibus chorus constat. Supra ostendimus, eas aves, quae musicos chori agunt, externas fuisse. Quae quum non sint notae Pisthetaero, contra hic noverit eas, quae chorum efficiunt, facilis conjectura est, has aves Atticas fingi. Et profecto nulla est, quam quis demonstrare possit non versatam esse in terra Attica vel simul etiam in mari vicino. De noctua in tantum constat, hujus ut commemoratio vel per se sola aliquem eo ducere possit, ut inquirat, sintne etiam reliquae aves Atticae. Porro adeo ex hac ipsa fabula apparet, duas aves ex iis, quae ad chorum pertinent, Atticas esse: attagenem, quae commemoratur Vs. 297, ex Vs. 245 sqq., quum tamen ex Acharn. Vs. 875 discamus, hanc avem Athenas inferri e Boeotia; accipitrem Vs. 303 enumeratum, quam avem etiam in aliis terris degisse non negamus, ex Vs. 870, ubi is accipiter, qui inter choreutas est, his appellatur verbis:

Ὦ Σουνιέρακε, χαῖρ' ἄναξ Πελαργικέ.

Sed id ipsum, quod modo contendebamus, Pisthetaero aves, ex quibus chorus constat, notas esse, in dubitationem vocatum est a Suevernio l. c. p. 101. Secundum hunc, quamvis non nominatum, Dindorfius »avium declarationem», ait, »apertum est Epopis personae melius convenire quam Pisthetaero, harum rerum adhuc ignaro. Itaque in v. 297–304 pro Pisthetaero Epopis, pro Euelpide Pisthetaeri persona ponenda est». Sed Pisthetaerum ignarum esse, temere sibi sumunt viri docti. Porro: Dindorfii illa verba in editione Oxoniensi posita praecedunt haec a Brunckio scripta: »distinctae personae ad fidem codd. A. B. nisi quod in iis avium declaratio Epopi tribuitur, cujus in locum quater Pisthetaernm posui. Nam praeter omnem verisimilitudinem ista, *οὐ γάρ ἐστι Σποργίλος;* Epops diceret». Haec sensu veri nativo disputata sunt a Brunckio; et digna profecto erat objectio, quae si non re-

futaretur — nam hoc fieri non potest ex mea sententia — at removeretur tamen. Hoc posterius locum habebit, si verba: *οὐ γάρ ἐστι Σποργίλος;* ei tributa fuerint, qui priorem partem versus 300 habet, ergo Pisthetaero ex sententia Suevernii et Dindorfii. Sed vel sic non sequeretur, horum decretum verum esse. Refutatur id et omnino falsum esse arguitur iis, quae leguntur Vs. 297. Hoc enim loco, quum, quisquis is est, qui loquitur, dicat: *ἐκεινοοὶ δὲ νὴ Δί' ἀττα γᾶς*, supra vero Vs. 249 Upupa nominatim advocaverit attagenem, in propatulo est situm, illud *νὴ Δία* esse alicujus, qui mirabundus exclamet, attagenem ab Upupa advocatam revera adesse; quo efficitur, ut is, qui loquitur, Upupa ipsa esse non possit. Apparet igitur, Pisthetaerum, qui etiam alias peritissimum se praebet et gnarissimum omnium rerum, revera aves Atticas optime nosse. De Euelpide, ut hac in caussa, sic etiam alibi alia res est. — Ergo scena hujus fabulae est in Pallene Thracia, aves vero, ex quibus chorus constat, Comicus Atticas haberi voluit, id agens, ut eo aptius populum Atticum repraesentare posse viderentur, quod hujus poetae consilium fuisse, verissime intellexit Suevernius, ut constat. Non adversari alteri utri sententiae ea, quae chorus profert de Upupa canens Vs. 329:

φίλος ἦν, ὁμότροφά θ' ἡμῖν
ἐνέμετο πεδία παρ' ἡμῖν,

(quo loco nescio an praestet scribere *ὁμοτρόφα*) verbo monuisse satis habeo. Neque enim negatur eo, quod contenditur, Upupam propriam suam sedem habere in Thracia, et aves, ex quibus chorus constat, in Attica, has et illam consuetudine uti solitas fuisse, cujus et in versu 200 inest significatio et id ipsum, quod aves advocatae Upupam conveniunt luculentissimum exhibet exemplum neque illud suo in genere primum, ut e Vs. 204 sq. apparet. Quae quum ita sint, non videtur dubitandum esse secundum ea, quae neque antea ignota erant et firmata sunt atque accuratius exposita ab Odofredo Muellero Mus. Rhenan. a. 1837 ed. fasc. 3. p. 351 sqq., quin chorus per eum aditum ingressus sit in orchestram, qui spectatoribus ad dextram erat; nisi forte quis statuendum ait, aves jam ante ipsam advocationem in vicinia congregatas cogitandas esse; quod mihi quidem ea, quae supra p. 31

typis excusa exstant, legenti atque relegenti non videtur probabile.

Agitur de numero et sexu choreutarum. Disputatur de modo, quo chorus prodierit, deque stationibus, quas post ipsum ingressum ceperit. Ostenditur, quaenam avis coryphaeum egerit. In transcursu emendantur vel tentantur loci, qui sunt Acharnens. Vs. 318 et hujus ipsius fabulae Vs. 591, 592, 597, 603; quaeritur de distributione versuum nunc vulgo Upupae adscriptorum, qui leguntur inde ab Vs. 553 usque ad Vs. 609.

Aves, quae ad chorum pertinent, quattuor et viginti esse numero, ut mos postulabat, jam in schol. ad Vs. 297 adnotatum est. Quod Schneiderus existimat l. c. p. 118, choragum quintam et vicesimam fuisse comici chori personam, ea sententia et per se certo caret fundamento et eo, quod in hac fabula usu venisse certissimum est, prorsus redarguitur. Quod ad sexum harum avium attinet, digna sunt, quae exscribantur, verba ad Equit. Vs. 589 a vetere interprete adnotata haecce: *Συνεισιτήκει ὁ χορὸς ὁ μὲν κωμικὸς ἐξ ἀνδρῶν ἤδη καὶ γυναικῶν ὁμοῦ δὲ καὶ ἐκ παίδων κδ', ὡς καὶ οὗτος ἀπηρίθμησεν ἐν Ὄρνισιν ἄρρενας μὲν ὄρνις ιβ', θηλείας δὲ τοσαύτας. — Ἔστι δὲ ὅτε καὶ ἡμιχόρια ἵσταντο* (comicos poetas dicit) *ἤτοι ἐξ ἀνδρῶν καὶ γυναικῶν· ἐν δὲ τοῖς τοιούτοις χοροῖς εἰ μὲν ἐξ ἀνδρῶν εἴη καὶ γυναικῶν ὁ χορός, ἐπλεονέκτει τὸ τῶν ἀνδρῶν μέρος καὶ ἦσαν ιγ', αἱ δὲ γυναῖκες ιά· εἰ δὲ ἐκ παίδων εἴη καὶ γυναικῶν, αἱ μὲν γυναῖκες ιγ' ἦσαν, οἱ δὲ παῖδες ιά· εἰ δὲ πρεσβυτῶν καὶ νέων, τοὺς πρεσβύτας πλεονεκτεῖν δεῖν φασίν.* De quo loco disputavit Boeckhius libri de Graecae tragoediae principibus p. 70 sqq. Credit vir summus, falli scholiastam in eo, quod aves totidem masculas et feminas dicat: »Quum enim», ait, »sub finem fabulae hemichori constituti sint, necessarium videtur, ut alter sit mascularum, alter feminarum, atque ut feminarum coetus ducatur a mascula». Et masculae quidem ipsi videntur esse: *πέρδιξ, ἀτταγᾶς, πηνέλοψ, ἀλκυών, κηρύλος, κορυδός, ἐλεᾶς, κεβλήπυρις, νέρτος, ἱέραξ, κόκκυξ, ἐρυθρόπους, δρύοψ*, feminae vero: *γλαῦξ, κίττα, τρυγών, ὑποθυμίς, περιστερά, φάττα, πορφυρίς, κερχνής, κολυμβίς, ἀμπελίς, φήνη.* Mox tamen *κεβλήπυριν* potius feminam habendam esse dicit; et ad postremum »quid», inquit, »si essent XII feminae? Nonne alia in avibus, alia in hominibus res

est? apud quos feminae profecto viris imbecilliores sunt, quum in volucribus nonnullis adeo habeantur fortiores». Sed, alcedinem feminam esse, jam Suevernius monuit l. c. p. 102. adn. 1. *Κεβλήπυρις*, non dubitamus, quin a scholiasta masculus et sit habitus et jure haberi potuerit. Hoc nomen, quod jam veteribus interpretibus molestias creavit, ex verbis *κεβλὴ* h. e. *κεφαλὴ* et *πῦρ* compositum esse, apparet. Diu est, ex quo societatis philologicae sodalibus significavi, secundum illud verba Comici, quae sunt Acharn. 318, ita esse corrigenda:

ὑπὲρ ἐπιξήνου θελήσω τὴν κεβλὴν ἔχων λέγειν,

quam ipsam emendationem, insigniter laetatus sum, quum etiam ab Ahrensio nostro factam esse ex eo Musei Rhenani fasciculo, qui nuperrime in publicum est editus, cognovi, cfr. p. 465 sq. Addo equidem, hanc suspicionem eo esse verisimiliorem, quod *κεβλήπυριν Atticam* esse avem supra demonstravimus. Atqui mihi quidem, cur chorum ex avibus masculis et feminis constantem fecerit poeta, nullus alius finis videtur excogitari posse, nisi hic, ut hymenaeum canentes, — id quod versus finem fabulae locum habere constat, — tam masculas habere quam feminas voluerit. Haec vero caussa num ipsi idonea visa fuerit, admodum dubitamus. Neque est, quantum ego quidem video, ullum indicium, unde praeter alcedinem feminas simul cum masculis aves fuisse certo colligas; immo ut credamus, non fuisse ita, ordo, quo se excipiunt inter ingrediendum, suadere videtur. Monebat Theodorus Hansingius, Harburgensis, societatis philologicae sodalis, una excepta alcedine omnes aves ad chorum pertinentes, licet nonnullae quoad grammaticam generis feminini essent, mares esse potuisse. Recte, si quid video, quamquam v. c. probe scio, accuratius loquentibus marem *περιστερὸν* dictum esse. Fieri igitur potest, ut ex reliquis avibus, quae vulgo feminae habentur, vel una vel plures masculae fuerint; quin omnes masculas habere licebit, si probabiliter fuerit demonstratum, singularem caussam fuisse, cur alcedo a poeta iuduceretur. Et fuit profecto. Quippe *κηρύλος* alcedinis consuetudine vel momentum temporis carere non posse credebatur. Notus est et vel fabulis celebratus intimus harum avium erga se amor et consociatissima voluntas. Eas tantum non

inseparabiles esse, significatur etiam notis illis Alcmanis verbis:

βάλε δὴ, βάλε, κηρύλος εἴην
ὅστ' ἐπὶ κύματος ἄνθος ἅμ' ἀλκυόνεσσι ποτᾶται
ἄδεες ἦτορ ἔχων, ἁλιπόρφυρος εἶαρος ὄρνις,

quae imitatus est hic poeta Vs. 250 sqq. Voluisse poetam hoc ipsum significare, elucet imprimis ex eo, quod illas ejusdem classis aves binas, reliquas omnes singulas induxit, et quod illas, ut ex Vs. 298 et 299 apparet, juxta ingredientes fecit et procul dubio etiam juxta collocatas, postquam stationem ceperunt in orchestra. Quin, si verba, quae sunt Vs. 250 sqq., quibus praesignificatur id, quod *κηρύλος* simul cum alcedine advenit, cum pulvisculo fuerint excussa, Upupa videri poterit solum *κηρύλον* advocare, non simul etiam alcedinem; unde aliquis non sine specie veri conjecturam capiat, fingi omnino Upupam advocare voluisse nullas nisi masculas aves. Nec profecto fieri potest, quin chorum ex masculis constare avibus statuant, qui sibi persuaserint, eum concionis populi Attici imaginem referre. Hoc certissimum videtur, ea, quae in hanc rem disputata sunt a scholiasta, ex ipsius esse sententia prolata, quum cetera, quibus de hemichoris sermo est, tradita acceperit. — Quod ad ingressum chori attinet, jam Suevernius recte monuit l. c. p. 101, *κατὰ στοίχους* factum esse. Mirari subit, quod nemo in locum supra exscriptum accuratius inquisivit eo fine, ut videret, quid de ratione, qua prodissent choreutae, deque eorum statione in orchestra effici posset. Disputavit de his rebus imprimis Schneiderus l. c. adn. 190, p. 190 sqq., copiose quidem, sed non omnino recte. Aves ab eo latere ingressas esse orchestram, unde solerent ii, quos peregre advenire fingeretur, probabile esse, supra ostendimus. Quaeritur primum, quae avis coryphaeum egisse credenda sit. Non video equidem ullam, in quam hunc honorem delatum fuisse aequo jure autumare liceat atque in noctuam, principalem illam avem Atticam. Quodsi verum est, noctuam fuisse choragum, ultro sequitur, ut *περιστερά, κεβλήπυρις, δρύοψ* secundum praestantia et dignitate locum tenuerint. Itaque discimus ex loco Comici, choragum, si chorum peregre advenire fingeretur, fuisse *δεξιοστάτην* et optimos choreutas *δεξιοστάτας*; atque ita fuisse vel

inde probabile fit, quod, ubi contrarium sumeretur, illum fuisse *ἀριστεροστάτην*, hos *ἀριστεροστάτας*, scimus. Aves *uno agmine* prodeuntes, de quo jam Suevernius monuit secundum locum, qui est Vs. 294 et 295, non uti tardo gravive incessu, sed currere vel salire, sequitur vel ex Vs. 307, ubi Euelpides exclamat:

οἷα πιππίζουσι καὶ τρέχουσι διακεκραγότες,

sed etiam inde apparet, quod agmen jam ante Vs. 308 et 309, quo loco sic pergit Euelpides:

Ἆρ' ἀπειλοῦσίν γε νῷν; Οἴμοι, κεχήνασίν γέ τοι
καὶ βλέπουσιν εἰς σὲ κἀμέ,

frontem obverterit proscenio necesse est et certe, antequam dicere incipit Vs. 310, firmam stationem ipsi propriam cepisse videri jure potest. Quaeritur, haec qualis fuerit. De his rebus nihil quidquam traditum reperitur. Num igitur jam per se probabile est, chorum comicum eandem speciem, quam inter ingrediendum praeberet, etiam stantem in orchestra retinuisse, ita ut is, qui in Avibus est, *κατὰ στοίχους* fuerit dispositus, an credere praestat, illum sic fuisse collocatum in orchestra, ut contrariam speciem praeberet? Equidem hoc probabilius duxerim altero illo, jam eam ob caussam, quod solummodo sub hac conditione ii, qui inter ingrediendum vulgo *ἀριστεροστάται* essent, sed, quum chorum peregre venire fingeretur, ut conjecimus, *δεξιοστάται*, *soli* ordinem spectatoribus proximum efficerent, id quod consentaneum est locum habuisse. Haec si vera sunt, chorus avium ita prodiit, ut singuli *στοῖχοι*, unus post alterum, in orchestra apparerent, ut autem quisque apparuit ad latus proxime antecedentis se collocaret, quae jam Suevernii sententia fuit. Videtur autem secundum ea, quae paullo ante jam adnotavimus, chorus recta via tetendisse ad eum orchestrae locum, ubi lineae erant illae, de quibus apud Hesychium sermo est his verbis: *γραμμαὶ ἐν τῇ ὀρχήστρᾳ ἦσαν, ὡς τὸν χορὸν ἐν στοίχῳ ἵστασθαι*, neque cogitandum esse de *pluribus* conversionibus aut de decursibus. Vulgaris illa chori statio quae fuerit, aliquis opinetur, etiam ex Vs. 591 perspici posse recte emendato. Esse enim in vitio, quae hoc loco tamquam a poeta scripta eduntur:

Ἦν δ' ἡγῶνται σὲ θεόν, σὲ βίον, σὲ δὲ Γῆν, σὲ Κρόνον, σὲ Ποσειδῶ,
ἀγάθ' αὐτοῖσιν πάντα παρέσται,

clarissimum est. Quippe neque verba *σὲ θεὸν* ferri possunt sic sola per se posita, quum certi cujusdam dei mentione opus sit, neque vero vocabula *σὲ βίον*, quae ne per se quidem admodum placent, stare in hac sententia, quum deus aliquis nominatus sit oporteat. Quae quum ita sint, apparet, locum ita emendandum esse, ut vocabulum *θεὸν* ad sequentia *σὲ βίον* trahatur eaque sic mutentur, ut dei alicujus exhibeant nomen. Non dubito equidem, quin scripserit Comicus:

Ἦν δ' ἡγῶνται σὲ θεὸν Σάβιον, σὲ δὲ Γῆν cett.

Dicam primum de voce *Σάβιον*. Inter omnes constat, *Σαβάζιον* eundem dici *Σάβον*. At illa forma adhuc ignota. Verumtamen quidni ea aeque bene usurpari potuerit juxta formam *Σάβος*, atque v. c. *Βάκχιος* juxta *Βάκχος*? Sed ecce tibi etiam aliam analogiam eamque forsan aptiorem. Notum est epiphthegma mysticum et bacchicum *Εὐοῖ Σαβοῖ*. Ex voce *Εὐοῖ* fictum est cognomen vel nomen Bacchi *Εὔιος*: ipse deus tanquam nomine proprio appellatur *Εὔιος θεός*, cfr. Lobeck. Aglaoph. T. I. p. 646 sq., T. II. p. 1041 sqq. Quidni licuerit statuere, ex epiphtegmate *Σαβοῖ* formatum esse *Σάβιος* et deum, similiter atque vocabatur *Εὔιος θεός*, appellatum esse *θεὸν Σάβιον* sive jam antea ab aliis sive ab Aristophane primo? Quod vero attinet ad facilitatem mutationis, nullum aliud exstare dei nomen, quod tam prope accedat ad tractus literarum, quales in libris mscr. reperiuntur, certa res est. Denique, nisi mea me fallit opinio, nullius alius dei commemoratio melius quadrat in hunc locum: Sabazium enim solem habitum esse constat ex Macrobii Saturn. I, 18; quod vero aliunde cognitum habemus, Sabazium ipsi Aristophani vilissimum et contemtissimum unum fuisse deum, adeo ut apud eum Sabazium et quosdam alios deos peregrinos judicatos e civitate ejici relatum sit a Cicerone libri de legibus II. cap. 15, — Comicum non voluisse, ut is non esset inter deos ab avibus repraesentatos, apparet ex Vs. 875, ubi *φρυγίλος Σαβάζιος* commemoratur. — Jam vero, ut redeamus, unde sumus orsi, inquirendum est, num Vs. 591 directus sit ad Upupam, ut Brunckius et qui eum secuti sunt

editores atque interpretes videntur statuisse. Etenim ante Brunckium altera pars versuum 592 et 595 et Vs. 606 cum priore parte versus 607 Upupae tribuebatur, nunc vero in iis, quae leguntur inde a Vs. 550 usque ad Vs. 611, Upupae soli adscribi solent omnia, quae non sunt Pisthetaeri aut Euelpidis. Quod num jure fiat, dubitare licet. Mirum est, quod, si haec distribuendi ratio probatur, Pisthetaerus inde a Vs. 593 ita loquitur, quasi chorum vel aves in universum secernat ab Upupa, antea vero constanter ita sermocinatur, ut hanc in numero avium comprehendat, et quod Upupa inde a Vs. 697 sic loquitur, ut de avibus in universum dicens tertia utatur persona, antea vero semper se ipsam adnumeret prima utens. Quod modo diximus de Vs. 597, verum non est, si vulgata scriptura probatur. Hic enim locus ex fide librorum mscr. sic scriptus editur, ut Upupa dicat:

Πλουτεῖν δὲ πόθεν δώσομεν αὐτοῖς; Καὶ γὰρ τούτου σφόδρ' ἐρῶσιν.

At haec scribendi ratio jam ob eam caussam jure potest suspecta videri, quod Upupa paullo infra Vs. 603 simili utens orationis conformatione haec ponit:

Πῶς δ' ὑγιείαν δώσουσ' αὐτοῖς, οὖσαν παρὰ τοῖσι θεοῖσι;

Hanc in dicendo discrepantiam video sublatum iri, si hoc posteriore loco pro *αὐτοῖς* scriptum fuerit: *αὖτοῖς*, ut de ipsis hominibus sermo sit. Et profecto verba in hunc modum reficta optime quadrabunt ad ea, quae respondet Pisthetaerus:

Ἢν εὖ πράττωσ', οἰχ ὑγιεία μεγάλη τοῦτ' ἐστί; Σάφ' ἴσθι,
ὡς ἄνθρωπός γε κακῶς πράττων ἀτεχνῶς οὐδεὶς ὑγιαίνει,

neque aves non sunt subjectum, quod vocant, in iis, quae deinceps interrogando profert Upupa:

Πῶς δ' εἰς γῆρᾶς ποτ' ἀφίξονται; καὶ γὰρ τοῦτ' ἔστ' ἐν Ὀλύμπῳ
ἢ παιδάρι' ὄντ' ἀποθνήσκειν δεῖ;

et quae proxime ante Vs. 603 Pisthetaerus dixerat:

λέγουσι δέ τοι τάδε πάντες,
οὐδεὶς οἶδεν τὸν θησαυρὸν τὸν ἐμὸν πλὴν εἴ τις ἄρ' ὄρνις.

Sed vel sic Vs. 697 justo stare talo videri non potest. Qui enim Upupae illa locutae sic respondere potuisset Pisthetaerus:

Τὰ μέταλλ' αὐτοῖς μαντευομένοις οὗτοι δώσουσι τὰ χρηστὰ τάς τ' ἐμπορίας τὰς κερδαλέας πρὸς τὸν μάντιν κατεροῦσιν, ὥστ' ἀπολεῖται τῶν ναυκλήρων οὐδείς.

Aut ego fallor, aut scripserat hic poeta:

Πλουτεῖν δὲ πόθεν δῶσιν ἄν αὐτοῖς;

Jam, quod ad versuum distributionem attinet, non est dubium, quin inde a Vs. 597 non chorus dicat, sed Upupa. In priore scevae parte fieri potest haec eadem ut ea verba fecerit, quae sunt Vs. 553; item veri est simile, Upupae esse tribuendam alteram partem versus 592, de quo statim post paullo accuratius dicam. Cetera, igitur Vs. 571 sq., vel, si vera est sententia Bergkii, de qua nuperrime exposuit Mus. Rhenan. fasc. I. a. 1842 edit. p. 92, Vs. 577 et una pars versus 578, equidem choro esse adscribenda censeo. Upupam enim hac in scena, quum de avibus in universum vel de choro loquitur, prima uti persona, jam, secundum ea, quae disputavimus de Vs. 597, etiam minus credibile est. Porro, ne quis nobis objiciat, Euelpidem tamen Vs. 598:

γαῦλον κτῶμαι καὶ ναυκληρῶ, κοὐκ ἂν μείναμι παρ' ὑμῖν,

ita sermocinari, ut Upupam et chorum in unum conjungat, moneo, illud *ὑμῖν* optime ad Upupam et Pisthetaerum referri posse, et Vs. 610:

αἰβοῖ, ὡς πολλῷ κρείττους οὗτοι τοῦ Διὸς ἡμῖν βασιλεύειν,

Euelpidem *solas* dicere videri aves, ex quibus chorus constat, ut Upupam his non immisceat, aeque atque Pisthetaerum facere monuimus. Denique quovis pignore contenderim, Vs. 591, etiamsi is non sit ad quattuor diversas personas praesentes directus, Upupam non posse esse appellatam; atqui mire esset ille versus subito ad chorum directus, si Pisthetaerus et ante et post sermonem habuisset cum Upupa. Quamquam non nego *post* ipsum illum locum posse sermonem ab Upupa susceptum esse, modo statuatur, *antea* chorum sermocinatum esse; quin censeo, ut jam significavi, alteram Vs. 592 partem probabilius tributum iri Upupae quam choro. Quum enim certum sit, Upupam dicere inde a Vs. 597, non potest bene fieri, ut ea non jam eo loco dicere inceperit, quo primum agitur de ea re, ad quam interrogationes Upupae spectant,

dico bona omnia, quae Pisthetaerus hominibus promittit Vs. 592. Nempe Vs. 575 vel 578 ad postremum dixerat chorus; deinceps per breve tempus Pisthetaerum sermocinantem interpellat non chorus, sed Euelpides; deinde, postquam chorum dedita opera appellavit Pisthetaerus, Upupa suscipit sermonem, non tam ne ipsa nimiopere tacere videatur, sed ut etiam ab ipsa examinentur dicta et promissa Pisthetaeri. Apparet, quam egregie etiam ab hac parte commendetur nostra distribuendi ratio. Jam quaeri potest, praestetne Vs. 592 scribere:

λέγε δὴ μοὶ τῶν ἀγαθῶν ἔν,

quanquam concedimus, non esse omnino necessarium. — Ergo Vs. 591 chorum alloquitur Pisthetaerus. Dicat jam aliquis, non liquere, is cur potissimum quattuor appellet aves, nisi stationem chori eam fuisse sumatur, ut quattuor choreutae reliquis propiores essent Pisthetaero in proscenio collocato; unde sequeretur, chorum κατὰ ζυγὰ fuisse dispositum, id quod supra p. 81 alio ratiocinandi modo probare studuimus, et, si etiam id verum est, quod diximus, chorum, nisi quod conversus esset, eundem ipsum ordinem servasse in orchestra, quo ingressus esset, quattuor illi choreutae essent πέρδιξ, ἰίττα, νέρτος, πορφυρίς. Sed, quamquam haec sane egregie congruunt, non possum, quin, ut ajunt, ipse mea vineta caedam. Etenim quum Vs. 875 videamus φρυγίλον dici Σαβάζιον, φρυγίλον frustra quaesiveris inter aves, quae chorum efficiunt. Ergo si sumere licet, in his rebus sibi constitisse hunc poetam, sequitur Vs. 591 non appellari singulas choreutas. Eodem pertinet quod Vs. 566 videmus *anatem* haberi ὄρνιθα, ὃς ἂν ἁρμόζῃ κατὰ Ποσειδῶνα. Sed infra ostendetur, fieri posse, ut Vs. 564 de simili accipitris ad Apollinem relatione sermo fuerit, quo de cfr. etiam Vs. 516; jam vero Vs. 570 cognoscimus κύκνον Πύθιον καὶ Δήλιον. Hinc aliquis probabile ducat, poetam unum eundemque deum a pluribus avibus repraesentatum fecisse. Sed postulabis, ut ostendatur, quibus de caussis fecerit, quatenus quadrent aves ad deos, quibuscum componuntur. An hoc in hac caussa non opus videbitur? Difficilis est conjectura veritatis. Equidem rem suspensam teneo. Hoc tamen non nego, posse illum versum bene ad universum chorum directum statui. — Ea, de qua adhuc disseruimus, chori statio Vs. 400 a choro significatur his verbis:

Ἀναγ' ἐς τάξιν πάλιν ἐς ταυτόν.

Neque enim multo post, quam capta est, relinquitur et instruitur acies ita ut duae alae sint, ut apparet ex verbis chori, quae leguntur Vs. 344 sqq.:

ἔπαγ', ἔπιθ', ἐπίφερε πολέμιον
ὁρμιὰν φοινίαν, πτερυγά τε παντᾶ
περίβαλε περί τε κύκλωσαι.

et Vs. 352 sq.:

Ἀλλὰ μὴ μέλλωμεν ἤδη τώδε τίλλειν καὶ δάκνειν.
Ποῦ' σθ' ὁ ταξίαρχος; Ἐπαγέτω τὸ δεξιὸν κέρας,

quae verba adnotavit etiam Leutschius l. c. p. 252. Cfr. cap. IV.

IV.

Agitur de ratione, qua se gesserint Pisthetaerus et Euelpides per eam scenam, quae incipit a Vs. 310. Illustrantur difficiliores quidam hujus scenae loci. In transcursu disputantur quaedam de ollis Atticis, quae *χύτραι* appellabantur; exputatur, in qua proscenii parte collocati fuerint Pisthetaerus atque Euelpides. Tentantur Vs. 386 et 463.

Post ipsum chori adventum fuga se subtrahunt vel saltem se occulunt Pisthetaerus atque Euelpides, quippe anxii et sibi metuentes. Anxietatem animi produnt imprimis verba Euelpidis Vs. 308 sq. de avibus posita haecce:

Ἆρ' ἀπειλοῦσίν γε νῷν; Οὔμοι, κεχήνασίν γέ τοι
καὶ βλέπουσιν εἰς σὲ κἀμέ.

Homines illos aut omnino non aut non facile adspectabiles fuisse in prima hujus scenae parte, apparet ex eo, quod, postquam Upupa Vs. 318 dixit:

ἄνδρε γὰρ λεπτὼ λογιστὰ δεῦρ' ἀφῖχθον ὡς ἐμέ,

chorus interrogat:

Ποῦ; Πᾶ; Πῶς φῂς;

et imprimis ex eo, quod hic paullo infra, Vs. 326, denuo quaerens ita sermocinatur:

Κἀστὸν ἤδη που παρ' ἡμῖν.

Sed post haec ipsa verba Pisthetaerus atque Euelpides aut redeunt in scenam aut, si hanc non reliquerant, quod probabilius videtur, in oculos cadunt choro. Sequitur hoc certo ex iis, quae respondentur ab Upupa:

Εἰ παρ' ὑμῖν εἶμι' ἐγώ,

digito illos monstrante, ni fallor; esse sibi adspectabiles, Vs. 337 sq. expressis verbis significat chorus; inde a Vs. 338 ipsos sermocinantes deprehendimus. — Sed aves loco, quem paullo ante typis exscriptum dedimus, ad impetum faciendum se provocant. Deinceps haec verba facta legimus ab Euelpide et Pisthetaero:

ΕΥΕΛΠΙΔΗΣ.

Τοῦτ' ἐκεῖνο· ποῖ φύγω δύστηνος;

ΠΕΙΣΘΕΤΑΙΡΟΣ.

Οὗτος, οὐ μενεῖς;

ΕΥΕΛΠΙΔΗΣ.

Ἵν' ὑπὸ τούτων διαφορηθῶ;

ΠΕΙΣΘΕΤΑΙΡΟΣ.

Πῶς γὰρ ἂν τούτους δοκεῖς ἐκφυγεῖν;

ΕΥΕΛΠΙΔΗΣ.

Οὐκ οἶδ' ὅπως ἄν;

ΠΕΙΣΘΕΤΑΙΡΟΣ.

Ἀλλ' ἐγώ τοί σοι λέγω,
ὅτι μένοντε δεῖ μάχεσθαι λαμβάνειν τε τῶν γυτρῶν.

ΕΥΕΛΠΙΔΗΣ.

Τί δὲ χύτρα νώ γ' ὠφελήσει;

ΠΕΙΣΘΕΤΑΙΡΟΣ.

Γλαῦξ μὲν οὐ πρόσεισι νῷν.

ΕΥΕΛΠΙΔΗΣ.

Τοῖς δὲ γαμψώνυξι τοῖσδε;

ΠΕΙΣΘΕΤΑΙΡΟΣ.

Τὸν ὀβελίσκον ἁρπάσας,
εἶτα κατάπηξον πρὸς αὐτόν.

ΕΥΕΛΠΙΔΗΣ.

Τοῖσι δ' ὀφθαλμοῖσι τί;

ΠΕΙΣΘΕΤΑΙΡΟΣ.

Ὀξύβαφον ἐντευθενὶ προσθοῦ λαβὼν ἢ τρυβλίον.

ΕΥΕΛΠΙΔΗΣ.

Ὦ σοφώτατ', εὖ γ' ἀνεῦρες αὐτὸ καὶ στρατηγικῶς·
ὑπερακοντίζεις σύ γ' ἤδη Νικίαν ταῖς μηχαναῖς.

Nempe dum Pisthetaero obsequitur Euelpides *πανοπλίαν* nan-

ciscitur, cfr. Vs. 435, et fit *ὁπλίτης*, quo nomine ipsum insigniri a Pisthetaero Vs. 448, supra disputavimus. Sed quaeritur, quatenus? Quem finem habeant veru et duo *τρυβλία* — tot enim arripuisse Euelpidem, perspicitur ex Vs. 387, — in iis, quae supra repraesentata sunt, ipse satis declarat poeta, et apertius etiam infra Vs. 388 *τὸν ὀβελίσκον* vocat *τὸ δόρυ*: sed Euelpidi de usu ollae interroganti quae respondentem fecit Pisthetaerum poeta, non sunt ita comparata, ut facile appareat, ad quam gravis armaturae partem repraesentandam olla sit adhibita. Audiamus primum de hac re quae disseruerunt veteres interpretes. *Δίδυμος*, ait scholiastes adn. ad Vs. 43, *δέ φησιν ἀμυντήρια αὐτοὺς τῶν ὀρνέων βαστάζειν, ἀντὶ ὅπλου μὲν τὸ κανοῦν, ἀντὶ δὲ περικεφαλαίας τὴν χύτραν, ἵνα μὴ ἐφιπτάμενα τὰ ὄρνεα τύπτῃ αὐτούς.* Sane ollae, quas prehendendas esse significat Pisthetaerus Vs. 357, eae ipsae sunt, quas secum tulisse nostros homines Athenienses, ex Vs. 43 cognoscimus. Sed, quae de canistro dixit Didymus, falsa esse, verba Aristophanis supra exscripta docent. Contra scholiastes ad Vs. 386 et 390 haec adnotavit: *καὶ τὸν ὀβελίσκον δέ, φησίν, ὅστις ἐστὶν ἡμῶν δόρυ, ἐντὸς τῶν ὅπλων χρὴ λοιπὸν ἔχειν· λέγει δὲ ἀντὶ τῶν χυτρῶν. ἔθος δὲ εἶχον ἔσω τῶν ἀσπίδων ἔχειν τὰ δόρατα. — τῶν ὅπλων ἐντός: Κέχρηται τῇ λέξει ἀντὶ τῶν ἱματίων, ὡσανεὶ εἶπε, καὶ ἔχειν τὸ δόρυ παρὰ τὴν ἀσπίδα· οὕτω γὰρ ποιοῦσιν οἱ πολέμιοι, τοῦ μὴ ἐξόπλους εἶναι, ἀλλὰ καθωπλίσθαι.* Hic igitur sibi persuasit, ollam loco clypei fuisse. Didymo obsecutus est Theodorus Panofka libri, qui inscribitur: Recherches sur les véritables noms des vases Grecs, p. 15 sq. et, ut illam sententiam fulciret, advocavit locum Pollucis, qui est IX, 7, 113. 114, falso in sermonem Francogallicum conversum, nam verba *ἔχεται τῆς χύτρας κατὰ τὴν κεφαλὴν τῇ χειρὶ τῇ λαιᾷ* non significant: »tient la chytre de la main gauche sur la tête». Iisdem ipsis Pollucis verbis ad hunc locum explicandum jam Berglerus usus erat, qui »videtur», inquit, »mihi respicere ad ludum illum, qui dicitur *χυτρίνδα*, quia chorus paullo ante dicebat, se velle istos duos *τίλλειν*, *vellicare*, et mox 364 dicit: *ἕλκε, τίλλε, παῖε, δεῖρε, κόπτε, πρώτην τὴν χύτραν*· quod etiam in illo ludo fieri solebat. Julius Pollux 9, 113: *ἡ δὲ χυτρίνδα· ὁ μὲν ἐν*

μέσῳ κάθηται καὶ καλεῖται χύτρα, αἱ δὲ τίλλουσιν ἢ περικνίζουσιν ἢ καὶ παίουσιν αὐτὸν περιθέοντες etc. mox: ἔσθ' ὅτε ὁ μὲν ἔχεται τῆς χύτρας κατὰ τὴν κεφαλὴν (tenet superiorem partem ollae *)) τῇ χειρὶ τῇ λαιᾷ περιθέων ἐν κύκλῳ etc. Qui vir doctus si id, quod verum est, vidit, hic Pollucis locus possit credibile reddere videri, apud Aristophanem ollam pro clypeo fuisse. Sed objiciat aliquis, τρυβλία jam esse clypei loco. Neque injuria, ut mihi videtur. Praeterea pro sententia Didymi facere videtur, quod, si Euelpidem olla tanquam clypeo usum esse statuitur, vix intelligitur, quomodo *duo* τρυβλία gestare potuerit, nisi forte sumitur, eum ambo una eademque manu tenuisse, quod parum credibile est. Deinde illo posito non liquet, cur Euelpides, quum tamen clypeum habeat ad oculos tegendos satis idoneum, ex Pisthetaero quaerat, quomodo oculos tutos reddere possit. Sed conficietur res verbis, quae leguntur inde a Vs. 386, accuratius perpensis, quam rem eo magis oportet agamus, quod vetus interpres, qui ollam pro clypeo fuisse existimat, illis verbis nititur. Sunt autem haecce:

— — — ὥστε τὴν χύτραν
τώ τε τρυβλίω καθίει·
καὶ τὸ δόρυ χρὴ, τὸν ὀβελίσκον,
περιπατεῖν ἔχοντας ἡμᾶς
τῶν ὅπλων ἐντός, παρ' αὐτὴν
τὴν χύτραν ἄκραν ὁρῶντας
ἐγγύς· ὡς οὐ φευκτέον νῷν.

Debentur haec ita constituta Dawesio, qui librorum scripturam paullum mutavit et sic, ut dubitari nequeat, quin genuinam poetae manum praestiterit. Non acquievit tamen in illo ἄκραν ὁρῶντας Droysenius, rescribendum ratus: ὀρθοῦντας ἄκραν. Sed hanc mutationem non solum citra omnem necessitatem factam esse, verum etiam ne per se quidem ferri posse, facile est ad demonstrandum. Quamquam hoc verum est, neque vulgatam verba distinguendi aut interpretandi rationem stare posse. Delendum est comma, quo vulgo interpungitur post vocabulum ἐντὸς et verba sic construenda:

*) Ita recte Berglerus; cfr. etiam quae monuit Meinekius Fragm. com. Graec. Vol. III. p. 231 sq.

καὶ χρὴ ἡμᾶς ἔχοντας τὸ δόρυ, τὸν ὀβελίσκον, περιπατεῖν τῶν ὅπλων ἐντὸς ἐγγὺς παρ' αὐτὴν τὴν χύτραν ἄκραν ὁρῶντας (αὐτήν). Verba τῶν ὅπλων ἐντὸς significant: *ita ut arma ante nos sint, media inter nos atque aves.* Intelliguntur autem arma tam duae illae ollae quam quattuor illa τρυβλία. Porro esse vocem ἐγγὺς jungendam cum verbis παρ' αὐτὴν τὴν χύτραν, tam clarum est, ut vix opus sit provocare ad ea, quae congessit Bernhardy Synt. p. 257. Χύτρα ἄκρα est *extrema, suprema* pars ollae. Denique obliti videntur viri docti, ὁρᾶν τι valere: *rationem habere alicujus*, de quo cfr. Buttmanni adn. ad Demosth. Mid. §. 17 et Meinekii ad Menandri fab. inc. LXXXIX (Fragm. com. Graec. Vol. IV. p. 257). His ita disputatis sponte apparet, sententiam scholiastae τὰ ὅπλα interpretantis *clypeos* et ollas intelligentis, non esse admittendam, quantumvis notum sit, esse illum significatum proprium Atticis scriptoribus. Sed, utut statuitur de loco constituendo vel interpretando, ferri ea nequit. Ergo ollam Euelpidi pro clypeo esse vult Pisthetaerus. Non nego equidem, hoc non satis perspicue esse significatum verbis λαμβάνειν τῶν χυτρῶν: immo haec potius eo videntur ducere debere, ut alteram illam interpretandi rationem sequamur. Sed sumendum est, Pisthetaerum, dum Euelpidi consulenti responsa dat, ipsum praeire ea, quae hunc facere jubet. Ita fuisse, intelligitur etiam tam ex eo, quod Vs. 357 et 358 dualis numerus est, quam ex loco, qui legitur inde a Vs. 388, quo docemur, Pisthetaerum non solum suam ollam habere, sed etiam veru arripuisse, ita ut dubium esse non possit, quin etiam duo τρυβλία vel ὀξύβαφα sibi sumpserit. — Neque tamen jam clara in luce positus locus, ubi de armis capiendis sermo est. Quatenus Pisthetaerus dicere potest, si ollas prehenderint, noctuam ipsos non esse aggressuram? Respondet is vetus interpres, cui ea debentur, quae ad Vs. 357 reperiuntur adscripta, sive is Euphronius est, sive alius quis: Φοβεῖται γὰρ τὴν χύτραν τὰ ὄρνεα διὰ τὸ μέλαν αὐτῶν, contra is, qui verba γλαῦξ μὲν οὐ πρόσεισι νῷν adnotavit: Οὐ διὰ τὴν χύτραν οὐ πρόσεισιν, ὡς Εὐφρόνιος· τοῦτο γὰρ κοινῶς πάντα τὰ ὄρνεα φοβεῖ· ἀλλὰ διὰ τὸ Ἀττικὸν εἶναι τὸ ζῶον. Ἀττικοὶ δὲ καὶ αὐτοί, quam ineptam interpretationem recoxit Henricus Vossius. Melius Droysenius:

»im Griechischen», inquit, »ist das bezeichnet, dass die Töpfe, Athens treffliches Fabricat, von dem ächt Athenäischen Vogel nichts zu fürchten haben werden». Postquam a nobis demonstratum est, agi fabulam non in terra Attica, sed loco longe dissito, nemo mirabitur, cur Pisthetaerus illam vim solis ollis tribuat, cur non etiam trybliis vel oxybaphis; quippe illas ex patria urbe secum asportaverant homines Atheniensis, haec Upupae erant, ergo non Attica opera figlina. Verumtamen utique non prorsus liquet, cur potissimum *noctuam* Pisthetaerus dicat sub illa conditione ipsos non esse aggressuram; nam etiam reliquas aves Atticas habendas esse supra vidimus. Jam constat quidem, noctuam vel in ipsa urbe versatam esse; si igitur sumere liceret, ollas in hac sola non modo fabricatas esse, verum etiam usurpatas, ratio adfuisset, at ea vel sic vix idonea, cur noctua potissimum nominaretur; sed non licet. Itaque aliam circumspiciamus interpretationem eamque paullo accuratiorem oportet. Jam notum est, Minervam tum ipsam *κέραμον* sive figlinum vas invenisse creditam esse, tum patrocinari iis, qui opera figlina facerent. Ergo haec quasi praeside et curante dea facta ipsique sacra cogitare licet. Ob hanc ipsam caussam fieri potest, ut singulae ollae superimpositae sint columnis simulacrum Minervae cingentibus in vase picto, quod nuperrime publicavit Gerhardius libri, qui inscribitur »Etruskische und Kampanische Vasenbilder des Königl. Museums zu Berlin», tab. I; quamquam non nego, has etiam aliter explicari posse. Num igitur hoc est, quod vult Pisthetaerus: ollis illis Minervae quasi sacris vel iis, qui eas gestent, nihil noxae allaturam esse avem eidem deae et ipsam sacram? Sed neque hac interpretandi ratione respondetur ad quaestiones hasce. Etenim ollas Pisthetaerus atque Euelpides procul dubio juxta se collocatas habebant ita, ut certe conspici possent a noctua. Ergo quid est, quod Pisthetaerus dicit, eos si *prehenderint*, noctuam ipsos non esse aggressuram? Praeterea ollam figlinum opus omnium rudissimum fuisse constat et omnino nigrum. Quomodo fieri potuit, ut facile intelligeretur, tales ollae utrum Atticae an alius cujus fabricae essent? Non sane ex forma; sed ultro eo delabimur, ut censeamus, signum aliquod infuisse in illis ollis a Pisthetaero et Euelpide allatis, ex quo de fabrica capi

conjectura posset, idque tali positum loco, quo, quum depositae essent ollae, aut omnino non posset conspici, aut non facile. Fabricae autem Atticae legitimum, ut ita dicam, signum erat noctua, cujus effigiem notum est sexcenties recurrere in numis Atheniensibus atque videre est in laminis illis et tessera, quas tractavit Boeckhius Corp. inscr. Graec. Vol. I. p. 341 sq.; adde quae adnotavit Staveren ad Hygini Fab. Cap. CCIV. Imprimis vero huc pertinet discus, qui reperitur in vase quodam Attico, a Stackelbergio libri, qui inscribitur: »die Gräber der Hellenen», tab. XXIV, 5 publicato, noctuae effigiem impressam exhibens. Fac igitur, noctuae simulacrum impressum fuisse illis Atticis ollis, quas secum attulerant Pisthetaerus atque Euelpides, et sponte apparebit, quam lepide et simul quanta verisimilitudine affirmet Pisthetaerus, si ollas ita signatas teneant vel potius in capite gestent, *noctuam* ipsos non esse aggressuram. Haec si non improbabiliter disputavimus, non solum iis, qui Comicum accuratius intelligere cupiant, bene consultum erit, sed etiam archaeologi habebunt certum exemplum rei jam per se quidem admodum verosimilis, sed, quod ego sciam, adhuc non probatae. De similibus signis impressis cfr. quae congessit Thierschius libri, qui inscribitur: »Abhandlungen der philosoph.-philolol. Classe der Königl. Bayerischen Akademie der Wissenschaften», Vol. II. P. II. p. 802 sqq., et pictura vasis publicati a Gerhardio libri, quem inscripsit: »Griechische und Etruskische Trinkschalen des Königlichen Museums zu Berlin», tab. XIV. XV. Ad hunc locum optime quadrat, si illa noctuae simulacra sub ollis impressa fuisse statuitur. — Jam restat, ut etiam ea verba excutiamus accuratius, quibus avium aduncos ungues habentium mentio fit et rationis, qua vita ab ipsarum impetu defendenda sit. Et animum advertunt jam ea, quae primo posita sunt loco. Etenim quum Euelpides dicat: *τοῖς γαμψώνυξι τοῖς δε*, consentaneum est sumere, aves aduncis unguibus praeditas ita fuisse instructas, ut Euelpidi proximae essent. Atqui cognovimns jam, avium ad chorum pertinentium aciem, aeque atque moris erat inter homines, sic fuisse institutam, ut duo cornua essent; porro dubium esse non potest, quin ad dexterum cornu, quod primum impetum facturum esse discimus ex Vs. 353, ipsae illae aves aduncos ungues habentes perti-

nuerint: nam hunc aciei locum, quippe qui honori esset, tenere solebant praestantissimi milites, et inter aves eas, quae aduncos habent ungues, ad dimicandum maxime idoneas esse, per se intelligitur; nec profecto obstat, quod infra, Vs. 1177 sqq., repraesentant *τοὺς περιπόλους*, quod inventum non minus egregium est, quum avium rapacium celerrimus sit volatus quo de hic ipse poeta monuit Vs. 1453 sq. Ergo Euelpides, et, quod ultro sequitur, Pisthetaerus per hanc scenam collocati erant in sinistra proscenii parte sive in ea, quae spectatoribus ad dexteram erat. Ex quo rursus probabile fit, etiam culinam, cujus mentio facta est Vs. 437, — neque enim *ἰπνὸς* furnum significat, sed culinam, — et ad quam pertinebant verua atque vasa Vs. 361. commemorata, fuisse in eadem illa proscenii parte. — Deinde verba *κατάπηξον πρὸς αὐτὸν* (sic enim in libris, quibus nunc uti licet, scriptum reperitur et procul dubio etiam in eo erat scriptum, qui scholiastae prae oculis erat miram hanc interpretationem proferenti: *πῆξον αὐτὸν πρὸς τὴν χύτραν*) vitium traxerunt. In prioribus editionibus a Dindorfio curatis pro *πρὸς αὐτὸν* repositum est *πρὸς αὑτόν*, quae scriptura Brunckio debetur, in Oxoniensi *πρὸ σαυτοῦ* de conjectura Bentleji. Illud ferri non posse, tum alii monuerunt tum Bernhardy Synt. p. 272. Hoc probum; sed nescio an praestet scribere: *κατάπηξον πρὸς αὐτῶν* h. e. humi defige *ita ut acies veru vergat ad ipsas* (*aves aduncis unguibus praeditas*). — Ceterum post ea, quae paullo supra de noctua et modo de avibus aduncos ungues habentibus disputavimus, elucebit etiam illud, qui factum sit, ut potissimum harum avium mentio sit injecta. Quippe noctua, quae, ut vidimus, coryphaei vice fungitur, nunc est *στράταρχος*, — cave enim *ταξίαρχον* esse credas Vs. 353 commemoratum, quamvis sane avibus aduncis unguibus praeditis accenseri possit, — ceterae vero aves, quarum expressis verbis mentio est facta, eae sunt, quas, quum in universum maxime omnium extimescendae essent, tum nunc ipsum impetum facturas compererat Euelpides.

Pergamus jam ex ordine enarrare res gestas. Non erat obsecutus mandato, quod Vs. 353 acceperat, *ταξίαρχος*: dexterum cornu immotum manserat eo, quem tenebat, loco; cfr. Vs. 364:

Ἐλελελεῦ, χωρεῖ, κάθες τὸ ῥύγχος· οὐ μένειν ἐχρῆν.

Quippe eo ipso tempore, quo dabatur illud jussum, dexterum quidem cornu jam erat formatum, sed *ταξίαρχος* locum, qui ipsi debebatur in fronte ejus, nondum ceperat. Quod postquam fecit, deinceps illa, quae vidimus, aguntur inter Euelpidem et Pisthetaerum. Quae stupentes aves non progredi putandae sunt. Ergo rursus mandat coryphaeus idem *στράταρχος*, ut impetum faciant, versu, quem modo exscriptum dedimus, atque eo qui sequitur. Sed intercedente Upupa et referente, venisse Pisthetaerum atque Euelpidem docturos aves utile quid, fit ut chorus haec verba proferat Vs. 381 sq.:

Ἔστι μὲν λόγων ἀκοῦσαι πρῶτον, ὡς ἡμῖν δοκεῖ,
χρήσιμον· μάθοι γὰρ ἄν τις κἀπὸ τῶν ἐχθρῶν σοφόν.

Quo facto Pisthetaerus ad Euelpidem conversus haec dicit:

Οἵδε τῆς ὀργῆς χαλᾶν εἴξασιν· ἄναγ' ἐπὶ σκέλος,

et duobus interjectis versibus:

Μᾶλλον εἰρήνην ἄγουσιν ἡμίν· ὥστε τὴν χύτραν

cetera, quae supra p. 89 repraesentanda curavimus. Ad Vs. 386 haec adnotavit Dindorfius in ed. Oxon.: »*ἡμίν*, quod Brunckius posuit, non liquet an hoc accentu scriptum exstet in codicibus; *ἡμὶν* ex Phrynichi Mysta affert Eustathius p. 1112, 38. *ἐβουλόμην ἂν ἡμὶν ὥσπερ καὶ προτοῦ.* Aristophanis exempla parum firma sunt Lys. 124. *ἀφεκτέα τοίνυν ἡμὶν τοῦ πέους*, ubi *ἐστὶν ἡμὶν* scribi potest, et Plut. v. 286, ubi libri meliores, *ὄντως γὰρ ἐστὶ πλουσίοις ἅπασιν ἡμῖν* (i. e. *ἡμὶν*) *εἶναι*, vulgo autem *ἡμῖν, ἅπασιν* legitur. Quamobrem de hoc quoque loco dubitare licet, in quo *ἡμῖν* ab interprete addi, a poeta autem scribi potuit, *μᾶλλον εἰρήνην ἄγειν δοκοῦσιν*». Aliquanto probabilius, de quo monebat Alfredus Fleckeisenius, jam antea Meinekius praef. ad Menandri reliq. p. XX scribendum conjecerat: *μᾶλλον εἰρήνην ἄγουσι, νὴ Δί', ὥστε* cet. Post tamen sibi persuasit vir egregius, »rarius apud poetas comicos nec tamen exemplis destitutum esse *ὑμὶν* pro *ὑμῖν*», vid. Fragm. com. Graec. Vol. I. p. 151, et ad Phrynichi illa verba haec adnotavit l. c. Vol. II. P. I. p. 595: «Similiter *ὑμὶν* vel *ἡμὶν* ultima correpta dixit Aristophanes Ran. 386 et Eupolis Fragm. fab. inc. II. 4. Fortasse etiam incertus comicus apud Lucianum Jove Trag. Vol. II. p. 644:

ὦ μακαρία,
ἥτις ἐν ἔρωτι καὶ τοιαύταις παιδιαῖς
οἴει τὰ πράγματ' ἡμῖν εἶναι.

Ita enim unus liber habet pro *οἴει τὰ ἡμέτερα πράγματ' εἶναι*». Locum Aristophanis injuria Meinekius huc traxit, neque enim reperitur ibi pronominis illa forma, de qua agitur. Nuperrime Theodorus Bergkius Mus. Rhen. l. c. disserens de loco supra exscripto »non potest», inquit, »idoneis argumentis comprobari, ejusmodi forma unquam usum esse Aristophanem: accedit quod et inutile est pronomen et vero etiam ipsum dicendi genus *εἰρήνην ἄγειν τινὶ* parum usitatum. Itaque scripsi: *ἢ πρίν*, hoc enim convenientissimum est huic loco, ubi Pisthetaerus avium animos *magis quam antea* sibi conciliatos esse animadvertit». Adversum quem disputans Fleckeisenius: »quod Bergkius dicit», ajebat, »inutile esse pronomen, hoc reddo ipsius conjecturae *ἢ πρίν*, nam quae altera notio apte suppleri potest ad comparativum *μᾶλλον* nisi haec: *quam antea*»? Porro de locutione *εἰρήνην ἄγειν τινὶ* provocabat ad ea, quae congessit Bernhardy Synt. p. 100. Haec equidem recte esse monita concedebam; sed de illa forma apud comicos poetas admittenda si non ita, ut Bergkius, at sic certe, ut Dindorfius, affirmabam statuendum esse; unoquoque loco quaerendum esse, possetne illa facili mutatione in perpetuitatem verborum illata videri. Ostendebam, hoc in hunc cadere locum: quum enim Vs. 386 nihil aliud contineretur quam Vs. 383, poetam fortasse scripsisse *ἠμί γ'* pro *ἡμίν*. De vocabulo *ἠμὶ* ab ipso Aristophane et ab Hermippo poeta comico usurpato cfr. quae congessit Bergkius de Aristophanis agens fragmentis libri a Meinekio curati Vol. II. P. II. p. 1077. Monebam tamen, particulam *γε* alias non reperiri additam; sed eam non posse non ferri existimabam.

Subinde chorus belli gerendi consilio abjecto pristinam stationem recipit; Pisthetaerus atque Euelpides, postquam ille jurejurando adegit aves, ipsum *μήτε δάκνειν μήτ' ὀρχίπεδ' ἕλκειν μήτ' ὀρύττειν τὠφθαλμώ*, et ad hunc ea direxit verba, quae supra p. 36 integra repraesentata sunt, *πανοπλίαν* prehendunt et suspendunt in culina. Quo facto chorus ab initio sequentis scenae ita appellat Pisthetaerum:

Ἀλλ' ἐφ' ὅτῳπερ πράγματι τὴν σὴν ἥκεις γνώμην ἀναπείσας, λέγε θαῤῥήσας· ὡς τὰς σπονδὰς οὐ μὴ πρότερον παραβῶμεν.

Ad quae verba sic respondetur ab hocce:

Καὶ μὴν ὀργῶ νὴ τὸν Δία καὶ προπεφύραται λόγος εἷς μοι, ὃν διαμάττειν οὐ κωλύει.

In his quae postrema sunt, quum in mendo cubare visa fuerint, moneo, posse fieri, ut poeta scripserit: *ὃς διαμάττειν οὐ κωλύει.* —

V.

Tractatur locus, qui est Vs. 561 sqq. Ostenditur, ante Vs. 565 unum versum integrum excidisse. Emendatur Vs. 565.

Pisthetaerus dicit:

Τοῖς δ' ἀνθρώποις ὄρνιν ἕτερον πέμψαι κήρυκα κελεύω, ὡς ὀρνίθων βασιλευόντων θύειν ὄρνισι τὸ λοιπόν· κἄπειτα θεοῖς ὕστερον αὖθις· προσνείμασθαι δὲ πρεπόντως τοῖσι θεοῖσιν τῶν ὀρνίθων ὃς ἂν ἁρμόζῃ καθ' ἕκαστον· ἢν Ἀφροδίτῃ θύῃ, πυροὺς ὄρνιθι φαληρίδι θύειν· ἢν δὲ Ποσειδῶνί τις οἶν θύῃ, νήττῃ πυροὺς καθαγίζειν· ἢν δ' Ἡρακλέει θύῃ τις βοῦν, λάρῳ ναστοὺς μελιτούττας· κἂν Διὶ βασιλεῖ κριὸν, βασιλεύς ἐστ' ὀρχίλος ὄρνις, ᾧ προτέρῳ δεῖ τοῦ Διὸς αὐτοῦ σέρφον ἔνορχιν σφαγιάζειν.

»In Vs. 565 quis, qui ad sequentia animum adverterit, non offendat? Jam Brunckius sensit, quam inepte duobus continuis verbis repeteretur vox *πυρούς*, sensit non minus, quam aegre victimae, quae Veneri offerenda esset, desideraretur mentio; eo magis ego miror, neque illum neque reliquos editores offendisse in omisso pronomine *τις*, quod in initio hujus enumerationis non video quomodo abesse possit. Quam difficultatem reputanti quum suspicio mihi orta esset, totum versum ante Vs. 565 excidisse, en necopinanti mihi ipse scholiasta auctor factus est. Nimirum scholiasta ad Vs. 565 adscripsit haec; *θύειν ὄρνισι πρὸ τῶν θεῶν· τὸ λοιπὸν δέ, εἰς τὸ ἔμπροσθεν· προσνείμασθαι δέ, μερίσαι καὶ προσοικειῶσαι ὄρνιν ἑκάστῳ θεῷ, ἱέρακα Ἀπόλλωνι καὶ τὰ ἑξῆς,* quorum verborum qui factum sit ut nullusdum rationem habuerit, vix exputes. Quid enim? Nonne ex schol. verbis sole clarius exsplendescit, primo loco Pisthetaerum non Ve-

neris, sed Apollinis mentionem fecisse, imperantem mortalibus, ut si Apollini nescio quid immolarent, aliud quid consecrarent accipitri? Quodsi vera hactenus monui, sponte sequitur, inter ἦν et Ἀφροδίτῃ inserendum esse δ', quod abesse debebat omisso versu antecedenti, simul nunc apparet, quo jure hoc versu a poeta non additum sit pronomen indefinitum τις; cf. Vs. 568 ἄν Διὶ θύῃ βασιλεῖ κτλ. — De reliqua versus parte emendanda omnia incerta sunt; fortasse voci θύῃ, quae nunc abesse potest, substituendum est nomen hostiae cujusdam; tum non improbabile est, quod conjecit Brunckius, nisus potissimum Vs. 622, in altero utro versu voci πυρούς substituendum esse κριθάς. At haec in medio relinquo». Haec sunt verba Theodori Hansingii, quae, quamvis insint, de quibus equidem aliter statuam, non potui tamen non integra transcribere. Et illud quidem, quod primus monuit Hansingius de versu scholiastae lecto, quo Apollo et accipiter fuissent commemorati, certissimum habeo; namque vel per se parum credibile est, scholiastam horum mentionem fecisse de suo, scilicet versus 516 memorem, et accedit, quod vocabulum θύῃ vitium traxisse statuamus necesse est tam propterea, quod displicent verba θύῃ et θύειν in uno eodemque versu juxta posita, quam ea de caussa, quod omnino desideratur, ut nominetur id, quod Veneri sit sacrificandum, et ferri nequit Brunckii sententia reponi jubentis:

ἦν Ἀφροδίτῃ θύῃ, κριθὰς ὄρνιθι φαληρίδι θύειν

ita ut vocabulum κριθὰς ad utramque versus partem spectet et partim gratam Veneri mentulam partim hordea significet, vel alia quaecunque similis; hoc autem probato, nullo modo corrigi poterunt verba, nisi sumptum fuerit, pendere ea ex aliis, antegressis illis quidem, sed incuria librariorum omissis. Deinde illud vel per se probabile duco, quod Hansingius *unum* tantum versum intercidisse existimat. Accedit, quod nullum in scholiis exstat vestigium, unde veteri interpreti plures lectos fuisse colligere liceat, qui non transmisisset non adnotatos, si etiam alios compositos repperisset deos et aves. Quamquam huic rei non nimium tribuerim, quia per est dubium, num is, qui reliquos versus adnotavit, idem sit atque is, cui verba supra exscripta debentur, — certe difficile est ad credendum, hunc ipsum ea scripsisse,

quae ad Vs. 565 adnotata reperiuntur, — et proinde, num alter ille scholiastes integrum locum legerit. Jam quod ad medelam versui 565 afferendam attinet, me quidem judice dubium esse nequit, quin pro θύῃ reponendum sit θύη h. e. *thura*. Thus autem inter res Veneri oblatas primum tenere locum, notissimum est, cfr. quae disputavit Engelius noster libri, quo de rebus Cypriorum exposuit, Vol. II. p. 151 sqq. Quum vero vocabuli θίος prior syllaba brevis sit, particulam δὲ in tertia sede collocemus ante vocabulum θύη oportet. Denique vox πυροὶς num genuina sit etiam ego dubito; quamquam, non esse, certum dicere non audeo. Potest enim objici, poetam ideo fulicae et anati unam eandemque rem voluisse sacrificari, quod simillimae essent aves, quo de cfr. etiam Athenaei lib. IX. p. 395, sect. 52. Difficilius est, quam ut facile commendetur, quod Brunckius confidenter, ut solet, affirmat, quum «in alterutro versu», ait, »vocem illam πυρούς ab oscitante librario pro sincera alia ex altero versu repetitam fuisse, statim quivis deprehendere potest«. Quid, si illud πυρούς alterutro versu ex voce quadam ad externam speciem simillima, sed minus nota ortum esse conjecerimus? Quum enim μῦρος, de quo dixit Athenaeus VII, p. 312, sect. 91, piscis sit, — marem muraenae appellat Plinius Nat. Hist. IX, 23, 39 — fulica vero et anas aves palustres, non solum facillimam verum etiam aptissimam dixeris mutationem, si quis pro πυρούς scripserit: μύρους. Dubium non videtur, quin voc. μῦρος priorem syllabam longam habeat. Monuit jam Passovius Lex. s. v. Sed, ut haec emendatio vera sit, difficile est ad judicandum, in utro versu sit facienda. Nos quidem habere nobis videmur, quibus verosimile fiat, priorem versum mutandum esse potius quam alterum. — Ceterum de fulica Veneri juncta praeter locum Athenaei, qui est VII, 325, et scholion ad h. l. consulenda sunt etiam Eustathii adnotatio ad Il. II, 308, p. 184, quae non fugit Engelium de hac re disputantem l. c. p. 185, et quae de fulicis in pelta Sileni conspicuis monuit Gerhardius libri, quo selectas quasdam vasorum picturas et publicavit et explicuit, Vol. I. p. 219. —

VI.

Demonstratur, cum alias tragoedias ante meridiem, comoedias tempore pomeridiano agi solitas esse Athenis, tum hanc ipsam fabulam post meridiem actam esse. Agitur de more inter ludos scenicos vino et bellariis fruendi.

In priore parabasi, Vs. 785 sqq., haec verba ponit chorus ad spectatores conversus:

Οὐδὲν ἔστ' ἄμεινον οὐδ' ἥδιον ἢ φῦσαι πτερά.
Αὐτίχ' ὑμῶν τῶν θεατῶν εἴ τις ἦν ὑπόπτερος,
εἶτα πεινῶν τοῖς χοροῖσι τῶν τραγῳδῶν ἤχθετο,
ἐκπτόμενος ἂν οὗτος ἠρίστησεν ἐλθὼν οἴκαδε,
κἄτ' ἂν ἐμπλησθεὶς ἐφ' ἡμᾶς αὖθις αὖ κατέπτατο.

Haec verba ostendunt, comoedias post tragoedias, porro has ante meridiem, illas vero tempore pomeridiano actas esse. Neque enim dubium esse potest, quin chorus, quum dicit: *ἐφ' ἡμᾶς*, non de se solo cogitet, sed de choris comoediarum in universum, et constat, vocabulum *ἄριστον* apud Atticos hunc tanquam proprium sibi poscere usum, ut de coena meridie habita adhibeatur, cfr. quae monuit G. A. Beckerus Chariclis Vol. I. p. 415. Mirum est, illud non sensisse archaeologum Lipsiensem praestantissimum, quum nostro loco usus est Chariclis Vol. II. p. 272, qui etiam in eo videtur falsus esse, quod cum loco Aristophanio pugnare existimat verba Philochori, quae exstant apud Athenaeum, XI. p. 464, etiam a Schneidero l. c. p. 256 sq. adn. 199 exhibita. Reperitur autem apud Athenaeum sic scriptum: *Ἡμεῖς οὖν, ὡς καὶ παρ' Ἀθηναίοις ἐγίνετο, ἅμα ἀκροώμενοι τῶν γελωτοποιῶν τούτων καὶ μίμων, ἔτι δὲ τῶν ἄλλων τεχνιτῶν, ὑποπίνωμεν. Λέγει δὲ περὶ τούτων ὁ Φιλόχορος οὑτωσί. Ἀθηναῖοι τοῖς Διονυσιακοῖς ἀγῶσι τὸ μὲν πρῶτον ἠριστηκότες καὶ πεπωκότες ἐβάδιζον ἐπὶ τὴν θέαν καὶ ἐστεφανωμένοι ἐθεώρουν, παρὰ δὲ τὸν ἀγῶνα πάντα οἶνος αὐτοῖς ᾠνοχοεῖτο καὶ τραγήματα παρεφέρετο, καὶ τοῖς χοροῖς εἰσιοῦσιν ἐνέχεον πίνειν, καὶ διηγωνισμένοις ὅτ' ἐξεπορεύοντο ἐνέχεον πάλιν· μαρτυρεῖν δὲ τούτοις καὶ Φερεκράτη τὸν κωμικόν, ὅτι μέχρι τῆς καθ' ἑαυτὸν ἡλικίας οὐκ ἀσίτους εἶναι τοὺς θεωροῦντας.* Quid enim, si quis contenderit, non esse

dubitandum, quin ea, quae secundum hunc referantur ab Athenaeo, ad solas comoedias spectent. Quippe etiam ea, quae a Philochoro de vino et bellariis spectantibus antiquitus oblatis ita tradita esse legimus, quasi ea res semper usu venisset, de quo est, quod dubitem, non valere de tragoediis, certe non ita, ut semper usu venisse putandum sit, hic idem locus Aristophanius documento est. Profecto tam in Athenaei quam in Philochori verbis insunt, quae illam sententiam admodum probabilem reddere videri possint. Sed, ut ea per *hunc* locum stare possit, mirum est tamen, quod, si verum est, quod arbitratur Meinekius de fragmento Pherecrateo agens l. c. Vol. II. P. I. p. 295, »in cibariis, quae praebita sint, etiam illud fuisse, quod *τρίμμια* appellavisse Graecos doceat Hesychius, *Τρίμμια: τὸ ἀρωμάτιζον πῶμα ἐν γάμοις γινόμενον* (fort. *πινόμενον*) *θεατρικοῖς ἀγῶσιν*», etiam in his verbis non simul intelligendae sunt tragoediae, quamvis rursus universe appellentur *ἀγῶνες*. Quamquam illi loci, quod ego quidem sciam, soli sunt, quibus tragoedias saltem simul significari aliquis contendere possit; eae quo solae et ipso nomine appellentur, exstat nullus. Bergkius quidem postquam Commentationum de reliq. comoed. Att. ant. p. 302, nixus ipsis verbis Pherecratis itidem ab Athenaeo servatis, quae nunc, ut correcta sunt ab acutissimo professore Marburgensi, exhibita exstant Fragm. com. Graec. a Meinekio coll. et dispos. Vol. II. P. I. p. 294, et loco Athenaei supra exscripto, monuit, »morem videri antiquitus Athenis fuisse, ut inter ipsos ludos scenicos, quoniam hi cum Bacchicis solemnitatibus conjunctissimi fuissent, spectantibus vinum praeberetur», sic pergit: »ad eundem morem referendum puto, quod de Ione tragico poeta narrat Athenaeus I. p. 4 A: *Ὁ δὲ Ἴων Χῖος τραγῳδίαν νικήσας Ἀθήνησιν ἑκάστῳ τῶν Ἀθηναίων ἔδωκε Χῖον κεράμιον*, et Scholiasta Aristophanis Pac. v. 835: *φασὶ δὲ αὐτὸν* (Ionem) *ὁμοῦ διθύραμβον καὶ τραγῳδίαν ἀγωνισάμενον Ἀθήνησι καὶ νικήσαντα ἑκάστῳ τῶν Ἀθηναίων δοῦναι Χῖον κεράμιον* (vel ut est in cod. Veneto: *εὐνοίας χάριν προῖκα Χῖον οἶνον πέμψαι Ἀθηναίοις*), unde apparet etiam privatos homines, ubi in his ludis scenicis vicissent, populo ejusmodi munera largitos esse; nisi forte Ion, dum ipsius tragoediae in scena agerentur, spectatoribus, ut eorum gratiam sibi con-

ciliaret, vinum praebendum curavit». Verum enim vero facile elucet, haec conjectura quam infirmo stet talo, neque verba illa ita accepta, ut priore loco, et jure quidem, fecit Bergkius, ad eundem illum morem esse referenda. — Est vero in hac caussa probe cavendum, ne confundantur quae natura sua diversa sunt. Illis enim locis omnibus non est sermo nisi de largitionum usu, qui, ait Meinekius, »postea videtur obsolevisse, nec facile bellaria comedebant spectantes, nisi qui ipsi domo apportassent et cum futiles histriones in scena agerent», in quam rem citavit verba Aristotelis, quae sunt eth. Nicom. X, 5, jam a Schneidero allegata haecce: *οἷον καὶ ἐν τοῖς θεάτροις οἱ τραγηματίζοντες ὅταν φαῦλοι οἱ ἀγωνιζόμενοι ὦσι, τότε μάλιστα αὐτὸ δρῶσιν.* Hunc vero alterum usum omnibus temporibus obtinuisse et tam si comoediae agerentur neque tamen illae largitiones fierent, quam si tragoediae, vel per se pro certo sumere licet; eundem tamen non in tantum invaluisse, ut quivis unus spectantium tantum bellariorum, ne dicam cibi, domo apportaret, quanto opus haberet ad famem vel ad tempus compescendam, et illa Aristophanis verba et ipsa haec Aristotelia accuratius perpensa fidem faciunt. — Quod vero supra affirmavimus, apparere ex loco Aristophanio, comoedias post meridiem actas esse, hujus ipsius fasbulae exemplo comprobare licet, ut quidem videri potest. Etenim Vs. 1498 sq. Prometheo ita interroganti:

Πηνίκ' ἐστὶν ἄρα τῆς ἡμέρας;

sic respondet Pisthetaerus:

Ὀπηνίκα; Σμικρόν τι μετὰ μεσημβρίαν.

Quamquam probe scio, minime necessarium esse, ut fabulam aliquam, praesertim tragoediam, eo ipso diei tempore actam arbitremur, quo rem, qua de agitur, evenisse fingitur, tamen in hac caussa post ea, quae supra monuimus, secus statuendum esse aliquis existimare possit, idque eo magis, quod nulla ratio apparet, cur ipsum illud tempus elegerit Pisthetaerus potius quam aliud quod. Praeterea, si nostra sententia fuerit probata, tum verbum *ἀριστίζειν*, quod legitur Vs. 659, tum nomen *ἄριστον*, quod est Vs. 1602, proprium suum significatum tuebitur; nam in eo, quod haec *σμικρόν τι μετὰ μεσημβρίαν* agi fingitur, praesertim si cogitaverit esse de tali-

bus sermonem, qui peregre advenerint itinere facto, nemo jure offendat. — Sed ecce alia oritur difficultas. Namque M. H. E. Meierus Ephemerid. liter. Halens. a. 1836 mense Julio edit. p. 327 et C. O. Muellerus Histor. liter. Graec. Vol. II. p. 32 sq. ex lege, quae est apud Demosthenem orat. in Midiam §. 10. p. 517 sq. apparere contendunt, in ludis scenicis Lenaeorum priore loco actas esse tragoedias, altero comoedias, sed Liberalibus tam ruralibus quam urbanis inverso ordine antecessisse comoedias, secutas esse tragoedias. Neque injuria, ut videtur. Atqui Aves Liberalibus urbanis actam esse constat. Ergone aut nos illud falso collegimus ex loco Aristophanio, aut hi viri celeberrimi hoc ex lege Euegori? Non opinor, necessario ita statuendum esse. Quidni enim sumere licuerit, Aristophanem ad solos ludos scenicos Lenaeorum respicere? Quae sententia si vera fuerit visa, per hunc Comici locum licebit etiam duos illos, qui sunt apud Athenaeum et Hesychium, ita intelligere, modo statuatur, Philochorum non dicere, tum Athenienses *non* ivisse spectatum *nisi ἡριστηκότας*, tum vinum et bellaria antiquitus in ludis scenicis *semper* oblata esse. Denique hoc probato neque opus erit, reprobare ea, quae nos paullo supra diximus de tempore diei, quo acta Aves videretur. Tenendum est enim, neque Liberalibus urbanis a comoediis agendis initium captum esse, sed sunt, ut ipsis verbis utamur, quae lege illa continentur, *τοῖς ἐν ἄστει Διονυσίοις ἡ πομπὴ καὶ οἱ παῖδες καὶ ὁ κῶμος καὶ οἱ κωμῳδοὶ καὶ οἱ τραγῳδοί.* — Ergo neque locus Aristophanius videtur nisi ita accipiendus esse, ut in ludis scenicis *Lenaeorum* tragoedias ante meridiem, comoedias tempore pomeridiano, vel saltem illas ante has agi solitas esse statuamus. Et haec quidem super hac re dixisse ad tempus satis habeo. Ceterum non possum facere, quin moneam, Carolum Fridericum Hermannum ex hoc loco eandem ipsam conjecturam cepisse, nisi quod de ludis scenicis Lenaeorum non cogitaverat vir celeberrimus idemque collega conjunctissimus. —

VII.

Agitur de simulacro ligneo Minervae Poliadis, quod Athenis erat in arce.

ΕΥΕΛΠΙΔΗΣ.

Λιπαρὸν τὸ χρῆμα τῆς πόλεως. Τίς δαὶ θεὸς
πολιοῦχος ἔσται; Τῷ ξανοῦμεν τὸν πέπλον;

ΠΕΙΣΘΕΤΑΙΡΟΣ.

Τί δ' οὐκ Ἀθηναίαν ἑῶμεν πολιάδα;

ΕΥΕΛΠΙΔΗΣ.

Καὶ πῶς ἂν ἔτι γένοιτ' ἂν εὔτακτος πόλις,
ὅπου θεός, γυνὴ γεγονυῖα, πανοπλίαν
ἕστηκ' ἔχουσα, Κλεισθένης δὲ κερκίδα;

Verba *Ἀθηναίαν πολιάδα* de ea Minerva intelligenda esse, cujus inde a primis temporibus templum fuit in arce Athenarum et simulacrum sanctissimum in hoc ipso templo positum, cum ex ipsis illis verbis apparet tum ex iis, quae Vs. 827 sunt. Ergo ex hoc loco sequitur, hoc simulacrum Minervae stantis fuisse et *πανοπλίαν* gerentis. Id ipsum, sed etiam accuratiora quaedam discimus ex loco Euripidis, qui est Electrae Vs. 1255 sqq. Matth., ubi Dioscuri de Furiis loquentes ita sermocinantur ad Orestem conversi:

Ἐλθὼν δ' Ἀθήνας, Παλλάδος σεμνὸν βρέτας
πρόσπτυξον· εἴρξει γάρ νιν ἐπτοημένας
δεινοῖς δράκουσιν, ὥστε μὴ ψαύειν σέθεν
γοργῶφ' ὑπερτείνουσά σου κάρᾳ κύκλον.

Neque enim dubium est, quin hoc quoque loco simulacrum ligneum Minervae Poliadis significetur. Accuratiora autem illa, quae hoc loco docemur, haec sunt: simulacrum deae clypeum Gorgonis ore insignitum gestasse eumque in altum sustulisse; de quibus vid. etiam quae disputavimus Conjectan. in Aeschyli Eumenides P. I. p. LXII sq. Num ex hoc eodem Euripidis loco colligere licet, simulacrum illud non intentasse hastam neque — id quod cum hoc conjunctum esse solet — alterum pedem projecisse, qui status eorum est, qui impetum sunt facturi? Ajat aliquis, quum alioqui non liqueat, cur non commemoraverit poeta hastam intentatam, neque illam

non idoneam ad Furias deterrendas. Sed equidem pro certo ponere non audeo. Secundum haec certissima et dilucidissima testimonia judicium ferendum est de artis operibus ad hunc diem servatis. Apparet toto coelo aberrasse ab eo, quod verum est, qui sibi persuaserunt, illud simulacrum Minervae sedentis habitum rettulisse. —

VIII.

Tractatur locus, qui legitur proxime inde a Vs. 848; agitur de Chaeride tibicine.

ΠΕΙΣΘΕΤΑΙΡΟΣ.

Ἐγὼ δ' ἵνα θύσω τοῖσι καινοῖσιν θεοῖς,
τὸν ἱερέα πέμψοντα τὴν πομπὴν καλῶ.
Παῖ, παῖ, τὸ κανοῦν αἴρεσθε καὶ τὴν χέρνιβα. 850

ΧΟΡΟΣ.

Ὁμορροθῶ, συνθέλω,
συμπαραινέσας ἔχω
προσόδια μεγάλα
σεμνὰ προσιέναι θεοῖσιν·
ἅμα δὲ προσέτι χάριτος ἕνεκα 855
προβάτιόν τι θύειν.
Ἴτω, ἴτω, ἴτω δὲ Πυθιὰς βοά·
συναδέτω δὲ Χαιρις ᾠδάν.

ΠΕΙΣΘΕΤΑΙΡΟΣ.

Παῦσαι σὺ φυσῶν. Ἡράκλεις, τουτὶ τί ἦν;
τουτὶ μὰ Δί' ἐγὼ πολλὰ δὴ καὶ δεῖν' ἰδών, 860
οὔπω κόρακ' εἶδον ἐμπεφορβιωμένον.
Ἱερεῦ, σὸν ἔργον, θῦε τοῖς καινοῖς θεοῖς.

ΙΕΡΕΥΣ.

Δράσω τάδ', ἀλλὰ ποῦ 'στιν ὁ τὸ κανοῦν ἔχων;
Εὔχεσθε τῇ Ἑστίᾳ τῇ ὀρνιθείῳ, καὶ τῷ ἰκτίνῳ τῷ ἑστιούχῳ, 865
καὶ ὄρνισιν Ὀλυμπίοις καὶ Ὀλυμπίῃσι πᾶσι καὶ πάσῃσιν,

ΠΕΙΣΘΕΤΑΙΡΟΣ.

Ὦ Σουνιέρακε, χαῖρ' ἄναξ Πελαργικέ.

Pompae, quae primis verbis significatur et post Vs. 850 in

ipsa scena apparet, jam antea notitiam habuisse Pisthetaerum, per se clarum est. Et potest hic sibi eam satis probabiliter videri eo tempore comparasse, per quod non est in scena; quin omnino credibile est, ipsum pompae ducendae auctorem cogitandum esse. Quae num ex pluribus quam ex tribus personis constiterit, una ea, quae sacerdotem egerit, altera ea, quae camillum, tertia ea, quae tibicinem, quam corvum fuisse expressis verbis ipse tradidit poeta, dubitare licet. Certe eam admodum exilem fuisse neque plures iis, quae omnino necessariae essent, personas adfuisse, vel ex iis conjici potest, quae de exilitate victimae posita sunt Vs. 890 sqq. et Vs. 899 sqq.; porro, non opus esse ut propter Vs. 850 plures uno camillos praesto fuisse arbitremur luculente docebunt ea, quae Lobeckius adnotavit ad Soph. Ajac. Vs. 344. — Aves etiam sacerdotem atque camillum fuisse vel inde sequi videtur, quod tibicinem avem fuisse certo scimus. Sed quaeritur, utrum propriae aves cogitandae sint, an aves eaedem homines. Si quis sit, cui illud mirum videatur ea de caussa, quod aves ipsas deos esse apud hunc poetam legerit, is velim meminerit, Graecis etiam Mercurium deum fuisse eundemqae sacerdotem et camillum. Hoc alterum probabilius videbitur, si etiam tibicinem fuisse corvum eundem atque hominem demonstratum fuerit, atque comparatis verbis, quae sunt Vs. 1058 sqq. et Vs. 903. — Cur Henricus Vossius et Droysenius canistrum portantem virginem potius quam puerum habuerint, non exputo. Accedit quod, ut virginem fuisse credere possemus, opus esset ad verba *ὁ τὸ κανοῦν ἔχων*, quae sunt Vs. 863, mente supplere: *ὄρνις*, id quod mihi quidem paullo durius videtur. — Quarumnam avium personam induerint sacerdos et camillus, difficile est dictu. Quum constet, Mercurio ex avibus sacros fuisse imprimis gallum gallinaceum et larum, existat forsan aliquis, qui de his avibus cogitandum esse probabile ducat. Sed in hac caussa incerta sunt omnia. Contra quum certum quidem sit, corvum tibicinem fuisse, tamen neque a poeta significatum est expressis verbis, neque vero ultro apparet, qui factum sit, ut huic potissimum avi negotium tibiis canendi sit tributum. Num igitur hoc in caussa erat, quod corvus ob vocem, quam edit, aptus videretur ad *Μοῦσαν βαρύβρομον αὐλῶν* (Nub. Vs. 313) exhibendam? Notum est autem, imprimis tibia-

rum graviore bombo sonantium usum fuisse in rebus seriis atque sacris cfr. Boettigeri script. min. Vol. II. p. 282. adn. †), quae res, ut paullo infra apparebit, bene congruit cum eo, quod Acharn. Vs. 866 appellantur *Χαιριδῆς βομβαύλιοι*, atque eo ducit, ut corvum talibus tibiis, quales erant, quae vocantur dextrae pares, flasse existimemus, de quo vide Salmasii adn. ad scriptores H. A. p. 825 sqq. Sed haec ratio, ut veri quid insit, tamen sola per se vix ac ne vix quidem sufficit. Itaque etiam aliae circumspiciendae sunt. Atqui Vs. 857 sqq. qui accuratius inspexerit, reperiet, poetam corvum tibiis canentem non tam comparare cum Chaeride, quam ipsum Chaeridem appellare. Quippe verba *Πυθιὰς βοὰ* de tibiae cantu sunt posita (vocabulum *βοὰ* de tibiis frequenter usurpari adnotavit Leutschius l. c. p. 1031); sequentia vero verba ad illa accuratius explicanda addita sunt, ita ut etiam locutio *συναδέτῳ ᾠδὰν* nihil nisi tibiae cantum significet, quae res eo est aptior, quod tibiae cantum eundem esse cantum corvi fingitur. Ergo vel per se probabile est, hinc proficiscendum esse in quaestione solvenda. De Chaeride schol. ad hunc locum haec scripsit: *ἦν δὲ ὁ Χαῖρις οὗτος κιθαρῳδὸς ψυχρὸς καὶ γέγονεν αὐλητής. Μνημονεύει δὲ αὐτοῦ καὶ Φερεκράτης ἐν Ἀγρίοις*, fragm. IV apud Meinekium l. c. Vol. II. P. I. p. 257:

Φέρ' ἴδω, κιθαρῳδὸς τίς κάκιστος ἐγένετο;
Β. Ὁ Πεισίου Μέλης. Α. Μετὰ τὸν Μέλητα δ' ἦν —
Β. Ἔχ' ἀτρέμι', ἐγᾠδά· Χαῖρις.

Ἔστι καὶ ἕτερος, οὗ μνημονεύει Κρατῖνος ἐν Νεμέσει. Quibus verbis usus est Suidas s. v. *Χαῖρις*. De illo homine saepius etiam apud Aristophanem sermo est. Primum Acharn. Vs. 16:

Τῆτες δ' ἀπέθανον καὶ διεστράφην ἰδών,
ὅτε δὴ παρέκυψε Χαῖρις ἐπὶ τὸν ὄρθιον,

ad quem locum haec adnotavit scholiastes: *ὁ δὲ Χαῖρις οὗτος κιθαρῳδὸς καὶ αὐλῳδὸς φαῦλος*, quibus verbis ut in transcursu moneam, redarguitur sententia Meinekii, in priore scholio scribendum esse censentis: *ἦν δὲ ὁ Χαῖρις οὗτος κιθαρῳδός. Καὶ γέγονεν αὐλητής*, quae sententia vel eam ob caussam nequit vera esse, quod a vetere interprete Chaeridem Avium Vs. 850 commemoratum citharoedum habitum esse non est credibile. Deinde ejusdem ipsius fabulae Vs. 866

positum est illud *Χαιριδῆς βομβαύλιοι*, quod ita interpretatus est scholiastes: *Τὰ τοῦ Χαίριδος πεπαιδευμένοι ἢ μελετῶντες. Χαῖρις δὲ αὐλητὴς Θηβαῖος ἄμουσος.* Denique Pacis Vs. 950 sqq. postquam Trygaeus dixit, parata esse omnia ad sacra facienda »*κοὐδὲν ἴσχει πλὴν τὸ πρόβατον ἡμᾶς*», chorus haec facit verba:

Οὔκουν ἁμιλλήσεσθον; ὡς
ἦν Χαῖρις ὑμᾶς ἴδῃ,
πρώσεισιν αὐλῶν ἄκλητος,
κἄτα σάφ' οἶδ' ὅτι
φυσῶντι καὶ πονουμένῳ
προσδώσετε δήπου.

His verbis haec adscripsit scholiastes: *Τῶν περὶ τὰς θυσίας αὐλητῶν ἦν ὁ Χαῖρις. Ἦν δὲ καὶ ἕτερος κιθαρῳδός.* Quibuscum egregie concinunt ea, quae a vetere interprete adnotata sunt ad locum Avium: *Χαῖρις ᾠδάν: Ὡς αὐτομάτως ἐπιόντος αὐτοῦ ταῖς εὐωχίαις.* Et profecto Pacis ille locus cum Avium hocce imprimis est componendus. Sed molestias creat, quod, si scholia sequeris, is Chaeris, qui altero loco commemoratur, diversus esse videtur ab eo, cujus altero fit mentio. Verumenimvero, revera ita fuisse, tantum non est incredibile. Fac enim singula scholia diversis deberi auctoribus, et statim apparebit unde illa discrepantia sit explicanda, quum praesertim res ipsa ita fuerit comparata, ut facillime turbae potuerint oriri. Fieri enim sane potest, ut duo fuerint Chaerides iidem tibicines et alter ex citharoedo factus sit tibicen, — qua re, ut per occasionem adnotemus, probatur id ipsum, quod supra p. 59 demonstrabamus contraria argumentandi ratione — ut de altero autem mentio fuerit injecta apud Cratinum; at Chaeridem, quoties hoc nomen apud Aristophanem reperitur, semper esse eundem intelligendum et tibicinem, persuasissimum habeo. Ita si statueris, adhibito imprimis loco, qui est in Pace fabula, ultro tibi apparebit, cur poeta tibicinem sacris faciendis operam navantem Chaeridem finxerit eundemque corvum, modo memineris imprimis in hac ave jam veteribus tum rapacitatem tum voracitatem tum insolentissimam importunitatem conspicuam visam esse; *corvum hiantem* vel pueri cognoverunt ex Horatii Sat. II, 5, 56, ceterum cfr. usus verborum *κράζειν*, *κορακεύ-*

εσθαι, κορύττειν. Accedit huc — idque aliquanto plausibilius quam id, quod primo loco posuimus —, quod illud *κράζειν* et *crocitare* egregie hominem male canentem indigitat, et Chaeridem pessimum fuisse tibicinem supra legimus. Omnino illud animal omnium maxime invisum erat, — *κόραξ ἐχθρὸς* appellatur tanquam proprio epitheto ab Aeschylo Agam. Vs. 1453 —; sic etiam Chaeridem pluribus de caussis maxime invisum fuisse, loci Aristophanii fidem faciunt.

Postquam pompa prodiit, chorus melicum carmen canit, quod legitur inde a Vs. 851, ut vulgo statuitur. Sed ea sententia tot tantisque laborat vitiis, ut non possim satis emirari, non jam diu abjectam esse. Nam quomodo chorus dicere potest: *ὁμορρόθῳ, συνθέλω, συμπαραινέσας ἔχω π. μ. σ. π. θ.*? Profecto illius voluntatis indicatae promissive facti in iis, quae praecedunt, nec vola nec vestigium. Porro, quomodo is ipse declarare potest: *ὁ. σ. σ. ἔ. προσόδια μεγάλα σεμνὰ προσιέναι θεοῖσιν*, qui, postquam sacerdos sub finem hujus scenae haec fecit verba:

Ἀπίωμεν ἡμεῖς ὡς τάχιστ' ἐντευθενὶ
θύσοντες εἴσω τοῖς θεοῖσι τὸν τράγον,

subinde ita canit de semet ipso:

Ἤδη μοι τῷ παντόπᾳ
καὶ παντάρχᾳ θυηπολοὶ πάντες
θύσουσ' εὐηταίαις εὐχαῖς?

Jam vero paullo infra inde a Vs. 895 haec leguntur uno consensu sacerdoti tributa:

Εἶτ' αὖθις αὖ πάρα σοι
δεῖ με δεύτερον μέλος
χέρνιβι θεοσεβὲς
ὅσιον ἐπιβοᾶν, καλεῖν δὲ
μάκαρας, ἕνα τινὰ μόνον, εἴπερ
ἱκανὸν ἔξετ' ὄψον.
Τὰ γὰρ παρόντα θύματ' οὐδὲν ἄλλο πλὴν
γένειόν ἐστι καὶ κέρατα.

Quae verba si quis modo adspexerit, inveniat necesse est illis ad amussim respondere; si inspexerit, ex verbis *αὖθις αὖ* et *δεύτερον μέλος* sequi, ut is, qui his usus fuerit, jam alterum aliquod carmen cecinerit, quod nullum esse potest, nisi id ipsum, quod incipit a Vs. 851. Et ad chorum si non

sunt apta prima ejus verba, at sacerdoti optime possunt adscribi.

In singulis hujus carminis verbis tractandis non est quod diutius moremur, excepto versu 856. In hoc librorum scriptura est *προβατόν τι*. Illud de conjectura Bentleji repositum est ab editoribus ad unum omnibus. Quae quamvis satis proba sit, cfr. Vs. 890 sqq., 899 sqq., quaeri tamen etiam potest, scripserintne poeta: *πρόβατον ἔν τι*, cfr. infra Vs. 899, Schaefer. adn. ad Demosth. T. III. p. 269, Oudendorp. adn. ad Apuleji Metam. II, 24. Ceterum *πρόβατον* hic significat *caprum*, non arietem aut vervecem, ut voluerunt Vossius atque Droysenius, post enim *τράγος* appellatur, de quo vocabuli significatu cons. Vossii epist. argum. myth. I, 17, p. 110 sq. ed. II.

In iis, quae sequuntur, imprimis animum advertit Vs. 869. Quaeritur primum, cur is eo ipso loco sit positus. Proxime ante sacerdos aves Olympios et Olympias universos et universas commemoraverat. Jam vero Olympus est mons, cfr. Völckeri lib. de geographia Homerica p. 4 sqq., illi igitur et illae montani et montanae, porro Sunium promontorium est, ergo accipiter Sunium inhabitans deus montanus, itaque Olympius. Quae reliqua sunt occupavit jam scholiastes ita commentatus ad illud *Ὦ Σουνιέρακε: Ἐπεὶ περὶ ὀρνίθων ὁ λόγος, ἀντὶ τοῦ Σουνιάρατε· φαίνεται δὲ εἶναι Ποσειδῶνος τὸ ἐπίθετον· καὶ ἐν Ἱππεῦσι* (V. 560) *»ὦ δελφίνων μεδέων Σουνιάρατε·» παρὰ τὸ ἐν Σουνίῳ ἄκρῳ τῆς Ἀττικῆς τὰς εὐχὰς καὶ τὰς ἀρὰς δέχεσθαι. Πελαργικὲ δέ, ἀντὶ τοῦ Πελασγικέ· ἅμα δὲ ἴσως παρὰ τὸν πελαργόν, καὶ ὅτι ὁ Ποσειδῶν πελάγους ἔφορος.* Illa rectissime disputavit scholiastes. Sed accipiter si vocatur *Πελαργικὸς*, hujus locutionis proxima ea est explicatio, ut rex ciconiarum intelligatur, quo nomine quam apte accipiter appellari possit, neminem fugit. At quum aperte componantur *Σουνιέρακος* et *Σουνιάρατος* h. e. Neptunus, de cujus in Sunio templo vel potius ara in templo Minervae sita dixit Leakius comment. de demis Atticae in Germanicam linguam convers. a Westermanno p. 55, sponte apparet, etiam vocabulo *Πελαργικὸς* alludi ad Neptunum. Jam constat, vel veteres Graecos existimasse a ciconiis dictos esse Pelasgos, de quo vide quos citavit C. Fr. Hermannus compend. antiq. Gr. Vol. I. §. 7. adn. 7. p. 21 ed. III.; quippe nomina eadem

erant ad externam speciem, sed diverso tamen modo pronuntiata esse Muellerus adnotavit Addend. ad librum de Etruscis p. 357. Itaque facile aliquis sibi inducat in animum, ut credat, Neptunum in Sunio cultum cognominatum fuisse Pelasgicum, aeque atque aliis numinibus a Pelasgis cognomina indita fuisse constat, vel a Pelasgis *primis* cultum creditum esse; et profecto notum est, Pelasgos antiquitus sedem habuisse etiam in Sunio. Sed de his rebus aliunde nihil constat. Neque sane non potest fieri, ut vocabulo *Πελαργικὸς* ad vocem *πελαγικὸς* alludi voluerit poeta, idque eo magis, quod jam veteres nomen *Πελαργῶν* sive *Πελασγῶν* a voce *πέλαγος* ductum censuisse cognitum habemus. —

IX.

Emendatur locus, qui est Vs. 1064 sq.

Ἤδη μοι τῷ παντόπτᾳ
καὶ παντάρχᾳ θνητοὶ πάντες
θύσουσ᾽ εὐκταίαις εὐχαῖς.
πᾶσαν μὲν γὰρ γᾶν ὀπτεύω,
σώζω δ᾽ εὐθαλεῖς καρπούς,
κτείνων παμφύλων γένναν
θηρῶν, οἳ πάντ᾽ ἐν γαίᾳ
ἐκ κάλυκος αὐξανόμενα γένυσιν πολυφάγοις,
δένδρεσί τ᾽ ἐφεζόμενα καρπὸν ἀποβόσκεται.

Huic loco procul dubio corrupto, nuperrime saepius tractato, a Godofredo Hermanno conjectura, opinor, non palmari sic reficto:

ἃ (γέννα) πάντ᾽ ἐν γαίᾳ —
δένδρεσί τ᾽ ἐφημένον καρπὸν ἀποβόσκεται,

ajebam pristinum nitorem restitutum iri, si quis facillima mutatione pro *οἳ* et *καρπὸν* scripserit *οἷς* et *κάρπιμ᾽*. —

X.

Agitur de munimentis Nephelococcygiae; explicantur loci, qui sunt Vs. 550 sqq., 832 sqq., 1124 sqq.; tentantur Vs. 1134 et 1139.

Vs. 550 sqq. Pisthetaerus dicit:

Καὶ δὴ τοίνυν πρῶτα διδάσκω μίαν ὀρνίθων πόλιν εἶναι,

κἄπειτα τὸν ἀέρα πάντα κύκλῳ καὶ πᾶν τουτὶ τὸ μεταξὺ
περιτειχίζειν μεγάλαις πλίνθοις ὀπταῖς, ὥσπερ Βαβυλῶνα.

Deinde idem Vs. 832 interrogat:

Τίς δαὶ καθέξει τῆς πόλεως τὸ Πελαργικόν;

Ad quam interrogationem postquam Upupa respondit:

Ὄρνις ἀφ' ἡμῶν τοῦ γίνους τοῦ Περσικοῦ,
ὅσπερ λέγεται δεινότατος εἶναι πανταχοῦ
Ἄρεως νεοττός,

et Euelpides exclamavit:

Ὦ νεοττὲ δέσποτα·
ὡς δ' ὁ θεὸς ἐπιτήδειος οἰκεῖν ἐπὶ πετρῶν,

Pisthetaerus Euelpidem ita appellat:

Ἄγε νῦν, σὺ μὲν βάδιζε πρὸς τὸν ἀέρα,
καὶ τοῖσι τειχίζουσι παραδιακόνει,
χάλικας παραφόρει, πηλὸν ἀποδὺς ὄργασον,
λεκάνην ἀνένεγκε, κατάπεσ' ἀπὸ τῆς κλίμακος,
φύλακας κατάστησαι, τὸ πῦρ ἔγκρυπτ' ἀεί,
κωδωνοφορῶν περίτρεχε, καὶ κάθευδ' ἐκεῖ·
κήρυκα δὲ πέμψον, τὸν μὲν εἰς θεοὺς ἄνω,
ἕτερον δ' ἄνωθεν αὖ παρ' ἀνθρώπους κάτω,
κἀκεῖθεν αὖθις παρ' ἐμέ.

Denique nuncius advenit et de opere perfecto haec narrat Pisthetaero inde a Vs. 1124:

ΑΓΓΕΛΟΣ Α.

Ἐξῳκοδόμηταί σοι τὸ τεῖχος.

ΠΕΙΣΘΕΤΑΙΡΟΣ.

Εὖ λέγεις.

ΑΓΓΕΛΟΣ Α.

Κάλλιστον ἔργον καὶ μεγαλοπρεπέστατον· 1125
ὥστ' ἂν ἐπάνω μὲν Προξενίδης ὁ Κομπασεὺς
καὶ Θεαγένης ἐναντίω δύ' ἅρματε,
ἵππων ὑπόντων μέγεθος ὅσον ὁ δούριος,
ὑπὸ τοῦ πλάτους ἂν παρελασαίτην.

ΠΕΙΣΘΕΤΑΙΡΟΣ.

Ἡράκλεις.

ΑΓΓΕΛΟΣ Α.

Τὸ δὲ μῆκός ἐστι, καὶ γὰρ ἐμέτρησ' αὐτ' ἐγώ, 1130
ἑκατοντορόγυιον.

ΠΕΙΣΘΕΤΑΙΡΟΣ.

Ὦ Πόσειδον, τοῦ μιάκρους.
Τίνες ᾠκοδόμησαν αὐτὸ τηλικουτονί;

ΑΓΓΕΛΟΣ Α.

Ὄρνιθες, οὐδεὶς ἄλλος, οὐκ Αἰγύπτιος
πλινθοφόρος; οὐ λιθουργὸς, οὐ τέκτων παρῆν,
ἀλλ' αὐτόχειρες, ὥστε θαυμάζειν ἐμέ.
Ἐκ μέν γε Λιβύης ἦκον ὡς τρισμύριαι
γέρανοι, θεμελίους καταπεπωκυῖαι λίθους.
Τούτους δ' ἐτύκιζον αἱ κρέκες τοῖς ῥύγχεσιν.
Ἕτεροι δ' ἐπλινθοποίουν πελαργοὶ μυρίοι·
ὕδωρ δ' ἐφόρουν κάτωθεν ἐς τὸν ἀέρα
οἱ χαραδριοὶ καὶ τἄλλα ποτάμι' ὄρνεα.

ΠΕΙΣΘΕΤΑΙΡΟΣ.

Ἐπηλοφόρουν δ' αὐτοῖσι τίνες;

ΑΓΓΕΛΟΣ Α.

Ἐρωδιοὶ
λεκάναισι.

ΠΕΙΣΘΕΤΑΙΡΟΣ.

Τὸν δὲ πηλὸν ἐνεβάλλοντο πῶς;

ΑΓΓΕΛΟΣ Α.

Τοῦτ' ὤγάθ' ἐξεύρητο καὶ σοφώτατα·
οἱ χῆνες ὑποτύπτοντες ὥσπερ ταῖς ἅμαις
ἐς τὰς λεκάνας ἐνέβαλον αὐτὸν τοῖν ποδοῖν.

ΠΕΙΣΘΕΤΑΙΡΟΣ.

Τί δῆτα πόδες ἂν οὐκ ἂν ἐργασαίατο;

ΑΓΓΕΛΟΣ Α.

Καὶ νὴ Δι' αἱ νῆτται γε περιεζωσμέναι
ἐπιλινθοφόρουν· ἄνω δὲ τὸν ὑπαγωγέα
ἐπέτονθ' ἕχουσαι κατόπιν, ὥσπερ παιδία,
τὸν πηλὸν ἐν τοῖς στόμασιν αἱ χελιδόνες.

ΠΕΙΣΘΕΤΑΙΡΟΣ.

Τί δῆτα μισθωτοὺς ἂν ἔτι μισθοῖτό τις;
Φέρ' ἴδω, τί δαί; Τὰ ξύλινα τοῦ τείχους τίνες
ἀπειργάσαντ';

ΑΓΓΕΛΟΣ Α.

Ὄρνιθες ἦσαν τέκτονες
σοφώτατοι πελεκᾶντες, οἳ τοῖς ῥύγχεσιν

ἀπεπελέκησαν τὰς πύλας· ἦν δ' ὁ κτύπος
αὐτῶν πελεκώντων ὥσπερ ἐν ναυπηγίῳ.
Καὶ νῦν ἅπαντ' ἐκεῖνα πεπύλωται πύλαις,
καὶ βεβαλάνωται, καὶ φυλάττεται κύκλῳ,
ἐφοδεύεται, κωδωνοφορεῖται, πανταχῇ 1160
φυλακαὶ καθεστήκασι καὶ φρυκτωρίαι
ἐν τοῖαι πύργοις.

Haec verba ita sub uno conspectu proposita si quis integra perlegerit paullo accuratius, fieri non poterit, quin mecum haereat in eo, quod Pisthetaerus a principio loquitur de lateribus coctis adhibendis, postea tamen coctorum quidem laterum nulla omnino mentio fit; in quam rem moneo, vocabulum *πλίνθοι* per se solum plerumque significare *lateres non coctos*, cfr. quae disputavit Muellerus l. c. p. 14 adnotat. 38. Num igitur postea oblitus est poeta eorum, quae antea dixerat; an postea negotium lateres coquendi eam ob caussam nullo verbo attigit, quod id parum convenire ad aves jure videri posset, ita ut tamen voluerit lateres ad munimenta pertinentes coctos fuisse; an consulto fecit non evenientia ipsa illa, quae de munimentis dicit Pisthetaerus, singula quidem? Ita esse, infra etiam clarius apparebit.

Deinde, quod ad Vs. 832 attinet, videmus fingi, Nephelococcygienses, quum tanquam coloni Atheniensium considerentur, ut deam Athenarum tutelarem retenturi sunt secundum verba, quae proxime ante illum versum sunt posita, ita etiam *Πελαργικὸν* habituros esse ipsorum in urbe. De Pelasgico Atheniensi nuperrime dixerunt C. O. Muellerus Comment. de Munimentis Athenarum I, p. 2. sq. (vid. Comment. Soc. Reg. Scient. Gotting. Recent. Class. Histor. et Philol. Tom. VIII) et F. A. Quastius libri, quem inscripsit «Das Erechtheion zu Athen», p. 12 sq. »Saxum illud», Muellerus inquit, »quod acropolin constituerant Athenienses, meridiem versus et orientem arduum et praeruptum attollitur, eaque parte natura ipsa satis munitum esse videbatur: sed idem versus occidentem molliore flexu ascenditur, ibique non sine structis operibus hostium incursionem arcere poterat. His locis Pelasgicum fuit, a Propylaeis, quae postea struebantur, versus Panis antrum et versus delubrum Furiarum et Areopagum collem: munimentum, ut videtur, e duplici muro compositum, ita ut

praeter eam arcis partem, quae maxime declivis erat, loca in plano proxime subjecta comprehenderet. Quo factum, ut idem Pelasgicum modo murus circa Acropolin ductus, modo Acropoleos pars, modo locus ab Acropoli disjunctus et Acropoli subjectus fuisse diceretur. A novem portis, quibus utrimque pervium erat, Enneapylum appellatum est». Nostro loco tanquam partem arcis accipi Pelasgicum, Muelleri sententia est: Aristophanem enim *τῆς πόλεως*, i. e. *ἀκροπόλεως*, *τὸ Πελαργικὸν* dicere fuisse in rupibus, *ἐπὶ πετρῶν*. Aliter statuisse videntur scholiastes, qui haec adnotavit ad Vs. 833: *"Οτι Ἀθήνῃσι τὸ Πελαργικὸν τεῖχος ἐν τῇ ἀκροπόλει, οὗ μέμνηται Καλλίμαχος, »Τυροηγῶν τείχισμα Πελαργικόν»*, et ipse adeo Didymus a Muellero advocatus, cujus haec verba leguntur ad Vs. 837 adscripta: *Δίδυμός φησι τὸ Πελαργικὸν τεῖχος ἐπὶ πετρῶν κεῖσθαι:* nempe hi, nisi fallor, murum intellexerunt circa arcem ductum, ut plurimi scriptores veteres; neque dubito equidem, quin eandem interpretationem admittant verba Comici. Omnino admodum infirma est sententia Muelleri, Pelasgicum etiam partem arcis habitum esse censentis. Ergo Nephelococcygienses etiam arcem talem, qualem Athenienses, habituros esse Pisthetaerus significat. Pelasgicum autem quod gallo gallinaceo tenendum dicitur, avi bellicosissimae, ideo fit, quod hoc munimentum praecipua cura dignum habebatur. Praeterea is, qui arcem tenet, dominus est civitatis: et talem cogitandum esse gallum gallinaceum, quem primum omnium regem Persarum fuisse ex Vs. 483 sqq. cognoscimus, poeta ipse significavit accuratius vocabulo *δεσπότης*. In eo, quod gallus gallinaceus hoc loco expressis verbis appellatur *ὄρνις τοῦ γένους τοῦ Περσικοῦ*, si quid quaerendum est, id nihil aliud esse potest, nisi hoc, ut poeta alludat ad pristinum illum galli gallinacei in Persas dominatum et forsan etiam voce *Περσικὸς* ad verbum *πέρθειν*; neque enim probare possum ea, quae disputavit Suevernius l. c. p. 61 sqq. — Etiam Brunckius verba *τῆς πόλεως τὸ Πελαργικὸν* intellexit de Pelasgico arcis muro, quem facete *Πελαργικὸν* appellaret Comicus ad ciconiarum nomen alludens. Horum verborum quae postrema sunt, quum verissime sint dicta, faciunt, ut de alia qua re disputandum sit paullo accuratius. Quaerat enim aliquis, quid sibi voluerit poeta eo, quod illud

munimentum *ciconiarum* dixit. Non potuit hoc significare velle, ciconias tenere illud, nam neque tum aderat *τὸ Πελαργικὸν* et hoc munus ab ipso tribuitur gallo gallinaceo; sed necessarium est, ut ciconias eas intelligi statuamus, quae murum illum structurae sint. Jam ex Vs. 1139, utut is scribendus est, apparet, ciconias occupatas esse in opere latericio faciendo, et ab altera parte, Hyperbium et Euryalum sive Agrolam Pelasgos primos laterarias constituisse Athenis, famam fuisse ex Plinii Nat. Hist. VII, 57 compertum habemus; ad quorum hominum opera olim Muellerus verba Vitruvii libri de architectura II, 8 scribentis, e latere structum esse Athenis murum spectantem ad Hymettum montem et Pentelensem, spectare statuebat Ephem. liter. Halens. a. 1829 edit. n. 126 p. 362; discessit autem ab hac sententia quum commentationem illam de munimentis Athenarum scripsit, ut ipse ait p. 13 adn. 35, maxime eam ob caussam, quod lateritium murum Themistocle antiquiorem Vitruvii tempore superfuisse minus credibile esset. Atque hanc rem in medio relinquamus, hoc quidem loco, — sed Aristophanem vel scire vel fingere murum Pelasgicum latericio fuisse opere structum, illa, quae modo significavimus, credibile reddere videntur. Quatenus hic poeta vel sic gallum gallinaceum dicere potuerit idoneum ad habitandum in rupibus, Didymi verba, quae supra exscripsimus, ostendunt cum scholio paullo ante citato composita. Cave vero *πέτρας* intelligas Pelasgicos muros, vel fundamenta ipsorum, quae »opere illo incerto, quod Cyclopeum dicunt, similive structurae genere noscenda,» arbitratur Muellerus l. c. p. 4.

In iis verbis, quibus Pisthetaerus Euelpidem appellat, cum universis tum Vs. 840 positis, inesse significationem celeritatis, qua res agenda sit, apparet. Id ipsum post etiam magis elatum; quin tanta significatur celeritas, ut ipse adeo Pisthetaerus stupeat atque dubitet, num vera sint ea, quae narrantur, cfr. Vs. 1164 sqq.:

ΧΟΡΟΣ.

Οὗτος, τί ποιεῖς; Ἆρα θαυμάζεις ὅτι
οὕτω τὸ τεῖχος ἐκτετείχισται ταχύ;

ΠΕΙΣΘΕΤΑΙΡΟΣ.

Νὴ τοὺς θεούς ἔγωγε· καὶ γὰρ ἄξιον·
ἴσα γὰρ ἀληθῶς φαίνεταί μοι ψεύδεσιν.

Et constat, quanta celeritate post pugnam Salaminiam Themistocle curante muri Athenarum urbis structi sint. Singula verba facilia sunt ad intelligendum. Dicam tantummodo de Vs. 839 sqq. Haec verba in memoriam revocant ea, quae posuit Thucydides I, 93 agens de muris Piraeei: *ἐντὸς δὲ οὔτε χάλιξ οὔτε πηλὸς ἦν*, quae posteriora verba illustraturus Muellerus l. c. p. 9 Thucydidem significare ait »ex saxis murum totum exstructum esse, non ut alias fieri solebat, ut frontes e lapide duro structae et per diatonos colligatae rudi opere farcirentur, quod emplecton dicitur». Nam vocabulum *χάλιξ* significare lapides duros, ita adhibitos, ut sint nati. De vulgata illa muros struendi ratione cogitare Pisthetaerus videtur, dum illa verba ponit. Sed neque ejus in opere ipso ullum fuisse usum ex iis, quae postea scripsit poeta, apparet. Omnino Euelpides nullo modo particeps fuit structurae murorum, — siquidem haec colligere licet ex silentio nuntii —; sola ea, quae Vs. 1159 sqq. describuntur, ipso curante instituta credere licet.

Nempe ipsa structura munimentorum, ut loco ad postremum typis exscripto docemur, a solis avibus perficitur suo ingenio ductis, non institutis ab alio quoquam, ita ut ne Pisthetaerus quidem sciat, quomodo singula quaeque gesta sint, sed demum ex nuntio comperiat. Munimenta autem, quae describuntur, *in universum* imaginem referre videntur eorum, quae Themistocle, Cimone, Pericle deinceps curantibus ad Athenas omnibus ex partibus defendendas exstructa sunt, non eorum tantum murorum, qui Themistocle suasore circa ipsam urbem ducti sunt. Sic certe statuendum videtur secundum verba Pisthetaeri Vs. 551 posita: *καὶ πᾶν τουτὶ τὸ μεταξύ*, quibus nescio an *τὰ μακρὰ σκέλη* et forsan etiam *τὸ διὰ μέσου τεῖχος* significentur. Ad muros Piraeei spectant ea, quae Vs. 1125 sqq. de latitudine murorum Nephelococcygiae traduntur, ad eosdem, quae deinceps Vs. 1130 sq. de altitudine, si vera est Suevernii sententia l. c. p. 76 adn. 4 prolata, vocabula *μῆκος* et *μάκρος* pro *ὕψος* posita esse censentis, de quo cfr. etiam Lobeckii adn. ad Ajac. Vs. 130, nisi quod tam latitudinem quam altitudinem aliquanto majorem esse fingitur. Nam »murorum Piraeei, Muellerus inquit l. c. p. 8 sq., »Thucydides I, 93 tradit eam fuisse latitudinem, ut cum ex-

struerentur, duo plaustra magna saxa a diversis partibus advehere, et non interrupto cursu praetervehi et descendere possent: quibus verbis puto XVI ferme pedum latitudinem significari; auget eam latitudinis definitionem Aristoph. Av. v. 1126 in describendis muris Nephelococcygiae, quibus duo ἅρματα, i. e. quadrigas, equis juncta Durium magnitudine aequantibus, adversa praetervehi posse fingit. Altitudinem murorum Thucydides non indicat, nisi quod, duplicem efficere voluisse Themistoclem, addit, quam quae ab Atheniensibus perfecta sit: sed Appianus (de bello Mithridatico c. 30) testis est, ad XL cubitorum, i. e. LX pedum, altitudinem eos tum perductos esse». Quamquam decernere non audeo, sitne illa Suevernii sententia vera. Quidni enim vocabula μῆκος et μάκρος proprium suum usum tueantur? Quem hoc posito nanciscimur murorum circuitum, is sane pusillus est neque idoneus ad circumdandum τὸν ἀέρα πάντα κύκλῳ καὶ πᾶν τουτὶ τὸ μεταξύ. Sed tenendum est, totam rem merum esse figmentum, id quod in hac ipsa fabula abunde significatur, praesertim tum, quum Iris est in scena, neque non videtur aptum sumere, illud ipsum hoc loco esse expressum eo, quod referuntur, quae pugnent cum eo, quod vero esse simile videri debet. Et profecto non poterat non movere risum, quum nuntius illa verba sic eloquebatur, ut vocabuli ἑκατοντορόγυιον priorem partem elatiore proferret voce. Huic sententiae primo obtutu obstare videtur, quod ipsum adeo Pisthetaerum longitudinem operis revera tam pusilli mirari videmus. Certum est, verba Pisthetaeri, si in hunc, quem diximus, sensum capienda sunt, non posse veram ipsius sententiam exhibere; sed quidni statuere licuerit, hominem vaferrimum, quem ipsum rebus a nuntio narratis fidem abrogare debuisse plus quam credibile est, simulare potius stuporem et fidem, ut chorum eo magis credulum reddat, quam revera habere? Cui conjecturae haudquaquam adversatur, quod Pisthetaerus paullo post, Vs. 1167, se fidem non habere simulat, neque enim hoc nisi stuporem suum est indicaturus, ita ut haec res eodem redeat, quo illa. Vocabulum μάκρος, quod est Vs. 1131, nisi hoc uno loco non reperitur usurpatum. Dindorfius »vocabulum» inquit, »fortasse ab Aristophane fictum: nisi τοῦ μακροῦ scripsit». De quo posteriore non assentior. Sed quae-

rat aliquis, cur hoc ipsum vocabulum adhibuerit Comicus. Fortasse non absonum fuerit conjicere, eum illud ideo elegisse, ut is, qui Pisthetaerum ageret, eo quod priorem syllabam minus distincte pronuntiaret, *spectantes* moneret proprie intelligendum esse *τοῦ μίκρους*, cui opinioni non obstare censeo, quod *τὸ μῖκρος*, vocabulum aeque ignotum atque illud, proprie priorem syllabam longam habiturum esset. Haec igitur pro ea sententia afferri possunt, quam supra professi sumus, non ad eos solos alludi muros, qui Themistocle curante circa ipsas Athenas ducti sunt. Sed quae ex accuratiore descriptione nuntii inde ab Vs. 1133 de structura murorum colligere licet, nos relegant potius ad hos muros, quippe horum superiores partes fuisse lateritias, »certe iis locis, quibus non ex antiquioribus moenibus copia caementorum, ex quibus illa exstructa fuisse crediderim, supererat», probabiliter ait Muellerus l. c. p. 12. secundum Thucydidis locum citatum; sic etiam Nephelococcygiae murorum superior pars lateritia est, neque eadem ipsa res de reliquis muris ad munimenta Athenarum urbis pertinentibus valet. Quamquam ne ab hac quidem parte omnia prorsus sunt inter se similia. Nam in illis moenibus Athenarum urbis »crepidinis saxa (*θεμελίους λίθους*) non quadrata vel ad normam caesa (*οὐ ξυνειργασμένους*), sed caementorum modo, ut quisque ea advexerat, congesta fuisse, ita ut etiam sepulcrorum cippos et sculptos lapides (*λίθους εἰργασμένους*) in muros inclusos conspicere liceret», duce Thucydide jam Muellerus adnotavit l. c.; contra in muris Nephelococcygiae crepidinis saxa sculpta esse vel affabre facta, ex Vs. 1138 perspicitur. Omnino illi rei equidem non nimium tribuerim tum aliis de caussis tum ideo, quod hoc genus murorum in fundamento lapideo ex lateribus non coctis luto commissis in Graecia pervulgatum erat, id quod idem ille vir desideratissimus, praeceptor meus, cujus verba non potui non ipsa adhibere ubicunque ad rem facerent, monuit l. c. p. 13 sq. Utut de his, quae adhuc disputavimus, statuitur, hoc certum est, Comicum in iis, quae de muris Nephelococcygiae posuit, rationem habuisse munimentorum Athenarum urbis, ut par erat, ubi ageretur de urbe, quae quasi tanquam colonia Atheniensis consideranda est, vel potius tanquam alterae Athenae.

Reliquum est, ut ea, quibus inde ab Vs. 1133 edocemur, a quibus avibus et quo negotio a singula quaque suscepto murus exstructus sit, tractemus singillatim. In qua re ita versabimur, ut ea tantum attingamus, quae aut difficiliora visa fuerint aut nondum satis ad liquidum perducta. De eximia poetae arte per hanc integram scenae partem in singulis negotiis inter aves maxime idoneas distribuendis conspicua singillatim non opus erit monere, nonnulla enim vel per se satis clara sunt, alia in scholiis explicata.

Ad Vs. 1133 et 1134 haec adnotavit Muellerus l. c. p. 13 adn. 36: »Aegyptios, moneo, significari non solum *πλινθοφόρους* sed etiam *λιθουργοὺς* et *τέκτονας*. Ceterum in Aegypto lateritias etiam fuisse pyramides, cryptoporticus Mausoleorum, privata multa aedificia, constat. Quae autem Aegyptiorum non tantum in lateribus faciendis sed etiam in portandis ars fuerit, nunc liquido perspicitur ex picturis Aegyptiis a Rosellinio in publicum editis». Hodie addi possunt quae reperiuntur apud Wilkinsonium libri, quem inscripsit »Manners and Customs of the ancient Egyptians», Vol. III. p. 324 sqq. Ceterum etiam apud hunc ipsum poetam Aegyptiorum tanquam ad magna onera portanda imprimis idoneorum honorifica fit mentio Ranar. Vs. 1406. Vel sic tamen vehementer dubito, num vocabulum *πλινθοφόρος* juxta *λιθουργὸς* et *τέκτων* positum genuinum sit. Sed illud videtur idem ipsum vitium traxisse atque verbum *ἐπλινθοφόρουν*, quod est Vs. 1139.

Ad Vs. 1136 et 1137 quod attinet, mira commentus est Suevernius l. c. p. 75 de eo, quod poeta grues dicit ex Libya venisse. Recte jam Berglerus intellexerat, hoc fingi »quia grues vere novo ex Libya redeunt, quo profectae fuerant extremo autumno», de quo conferri jusserat Vs. 710; poterat etiam provocare ad Vs. 1428. Quatenus ipsae grues crepidinis saxa devorasse dicantur, liquebit ex Vs. 1429 et ex iis, quae ad eum adnotavit scholiastes.

De Vs. 1139 haec commentatus est Muellerus l. c.: »Posthaec *ἐπλινθόποιουν* G. Diodorfius scripsit ex conj. pro codd. lectione *ἐπλινθοφόρουν*, quae ferri nequit propter v. 1152 (1149); ac certe *ἐλιθοφόρουν* incommodum esset, nam de saxis crepidinis jam dictum est, superior autem murus lateritius est». De verbo *ἐλιθοφόρουν* Muellerum vel momen-

tum temporis cogitasse miror, nam neque propter ea, quae proxime sequuntur, ferri potest. Haec tam docent, prius hoc *ἐπλινθοφόρουν* esse, quod in mendo cubet, quam ad sententiam aptum esse, quod conjectura assecutus est Dindorfius. Illud etiam ex eo sequitur, quod prius adesse necesse est lateres, quam portari possunt; hoc verum esse, etiam ex ratiocinatione statim proferenda apparebit. Illud autem *ἐπλινθοποίουν* si genuinam poetae manum praestare visum fuerit, ego auctor ero, ut etiam Vs. 1134 pro *πλινθοφόρος* scribatur: *πλινθοποιός*. Sed distant haec vocabula nimiopere a tractibus literarum, quales in libris mscr. reperiuntur. Nescio an poeta scripserit: *πλινθοπόρος* et: *ἐπλινθοπόρουν*. — Pergit Muellerus l. c.: »Ad lateres autem ducendos coniniae propter rostrorum formam aptissimae esse videbantur Aristophani». Haud dubie verum vidit summus vir sed tantum ex parte; equidem non dubito, quin Comicus etiam eam ob caussam *πελαργοῖς* illud negotium mandatum fecerit, quod *Πελαργοὺς* primos fecisse lateres Athenis fama erat; cfr. etiam schol. ad h. l.

Ad Vs. 1148 sqq. haec adnotavit Brunckius: »*Ὑπαγωγεὺς* instrumentum est, quo exaequare lateres solent *οἱ κονιατοὶ* seu *caementarii*. Quae autem instrumentum illud ferebant, ipsae erant *caementariae* anates. Scilicet verba *ἐπλινθοφόρουν* et *ἐπέτοντο* ad idem substantivum *αἱ νῆτται* pertinent. Praecinctas eas esse facete fingit comicus, quia, ut Suidas et scholiastes observant, pictarum hujus avis plumarum dispositio albae zonae speciem refert: *ἐζωσμέναι δὲ αἱ νῆτται, διὰ τὸ ἔχειν ζώνην λευκήν*. Plumarum vero in summo tergo, alis expansis, figura ad *ὑπαγωγέως*, quem Gallice *une truelle* appellamus, figuram accedit. Vs. 1151 spurius est et, a mala manu additus, prorsus deleri debuit: cum praecedentibus nullo nexu cohaeret, et plane inutilis est. Quorsum enim avium lutum ferentium mentionem iterare, postquam supra v. 1142 fulicas lutum adportasse nuntius narravit? Sic verti debuit hic locus: *Atque edepol anates etiam praecinctae lateres adportabant: sursum autem volabant tergo impositam trullam gerentes, tanquam pueruli*«. Haec Brunckius. Contra Dobraeus et ipse offensus illis verbis nonnulla intercidisse existimat post *κατόπιν*. Neuter, nisi mea me fallit sententia, verum vidit. Dicam priore loco de Brunckio. Is non in-

tellexit, ardeas lutum attulisse dici ad lateres faciendos, hirundines ad lateres exaequandos vel potius committendos. De muris lateritiis luto structis cfr. quae dixit Muellerus l. c. p. 39. Porro quae Brunckius de trulla, qua calx inducitur muris — hic enim vulgaris est vocabuli ὑπαγωγεὺς significatus — protulit, ex ipsius, opinor, ingenio hausta, nescio an ferri non possint. Non video equidem, quomodo vocabulum ὑπαγωγεὺς stare possit hoc loco, nisi de luto, quo utuntur caementarii ad lateres coagmentandos, intelligatur. Schol. ad Vs. 1150: *Ὁ δὲ ὑπαγωγεύς, ὥς τινες, σιδηροῦν τι οἷον πτερύδιον, ᾧ χρῶνται οἱ κονιαταί· οἱ δέ, ἐργαλεῖον οἰκοδομικὸν, ᾧ ἀπευθύνουσι τὰς πλίνθους πρὸς ἀλλήλας, Τινὲς δὲ αὐτὸ παράξυστον καλοῦσιν· εἰ μὴ ἄρα πηλόν τινα ὑπαγωγέα καλοῦσι· τοιοῦτον γάρ τι καὶ Ἕρμιππος ἐν τοῖς Τριμέτροις ἐμφανίζει.* Hermippi verba exstant apud Suidam s. v.: *οἱ δὲ πηλόν τινα, καθὼς καὶ Ἕρμιππος· Ξύνεστι γὰρ δεσμῷ μὲν οὐδενί· τοῖσι δὲ ὑπαγωγεῦσι τοῖς ἑαυτοῦ τρόποις*, quae ita fere emendanda arbitratur Meinekius Hist. crit. com. Graec. p. 97:

Ξύνεστι γὰρ δεσμῷ μὲν [οὗτος] οὐδενί,
τούτοισι δ' ὑπαγωγεῦσι τοῖς αὐτοῦ τρόποις.

Etiam Hesychius: *Ὑπαγωγεύς: πρὸς πλίνθων οἰκοδομὴν πηλός.* Insolentior hic hujus vocabuli usus nescio an sit adnumerandus iis exemplis vocum insolentiorum ab Hermippo usurpatarum, de quibus dixit Bergkius l. c. p. 316 sq. Ob illum ipsum rariorem vocabuli usum factum est, ut locutio *τὸν ὑπαγωγέα* ab Aristophane ipso explicata sit additis verbis: *τὸν πηλόν*. Verborum enim structura haec est: *αἱ χελιδόνες ἐπέτοντο κατόπιν (τῶν νηττῶν), ὥσπερ παιδία, ἄνω ἔχουσαι ἐν τοῖς στόμασιν τὸν ὑπαγωγέα, τὸν πηλόν.* Vocabulum *παιδία* non, ut vulgo arbitrantur, tirones significat, sed *servulos*; comparantur autem hirundines cum servulis quippe pone anates volantes. Illa vero verba sic accepta tam plana sunt atque integra, ut nec Dobraei sententiam Dindorfio probatam ferri posse ultro appareat. Ceterum anatibus nulla alia de caussa videtur negotium laterum portandorum mandatum esse, quam quod eas praecinctas fingere licuit. Qua in re haudquaquam est cum pulvisculo excutiendum, quod lateres satis magni cogitandi sunt non tam propter Vs. 552, quam propter

ea, quae tradidit Vitruvius II, 3 his verbis: »duobus laterum generibus Graecorum aedificia struebantur, ex his unum pentadoron, alterum tetradoron dicitur. Doron autem Graeci palmum. Ita quod est quoquoversus quinque palmorum pentadoron, quod quattuor tetradoron dicitur. Et quae sunt publica opera, pentadoro, quae privata, tetradoro struuntur». Statuendum est autem, anates non solum portasse lateres, verum etiam collocasse. Hirundines enim nihil agunt nisi ut lateres coagmentent luto in rostris allato. *Καὶ ποιοῦσι τοῦτο*, recte ait scholiastes, *ὅταν τὰς νεοσσιὰς κατασκευάζωσιν*. Et ad illam rem agendam, quum saepius volarent, sufficiebat tantum luti, quantum in rostris portari poterat ab hirundinibus. Contra lutum, quod Vs. 1142 portatum dicitur, inserviebat ad lateres faciendos. Ad hoc majore copia luti opus erat ciconiis, ergo lutum non in rostris affertur, sed in vasibus latis, de quibus cfr. quae congessit Panofka »Recherches» cet. p. 22, et a majoribus avibus quales sunt ardeae. —

XI.

Explicatur locus, qui est Vs. 1249 sqq. Probabile redditur, Aristophanem novisse Gigantes alatos et pardorum pellibus indutos.

Vs. 1246 sqq. Pisthetaerus dicit Iridi:

Ἆρ' οἶσθ' ὅτι Ζεὺς εἴ με λυπήσει πέρα,
μέλαθρα μὲν αὐτοῦ καὶ δόμους Ἀμφίονος
καταιθαλώσω πυρφόροισιν ἀετοῖς,
πέμψω δὲ πορφυρίωνας ἐς τὸν οὐρανὸν
ὄρνις ἐπ' αὐτὸν, παρδαλᾶς ἐνημμένους,
πλεῖν ἑξακοσίους τὸν ἀριθμόν· καὶ δή ποτε
εἷς Πορφυρίων αὐτῷ παρέσχε πράγματα.

Qui Vs. 1249 sqq. accurate perlegerit memor usus loquendi, de quo dixit Bernhardy Synt. p. 192 etiam hujus loci habita ratione, is non ibit infitias, verba *πορφυρίωνας ὄρνις* non esse ita opposita verbis *εἷς Πορφυρίων*, ut illae aves alatae cogitandae sint, hic gigas carere alis. Potius verba, quum ita dicta sint, ut *πορφυρίωνες* et *Πορφυρίων* uno eodemque loco habeantur, nisi quod illi sexcenti numero commemoran-

tur, hic unus tantum fuisse dicitur, eo ducunt, ut etiam Porphyrionem Gigantem et proinde Gigantes universos Aristophani alis instructos notos fuisse existimemus. Probatur id ipsum etiam hac ratiocinatione. Etenim Porphyrion si de sententia Aristophanis carebat alis, crederes Comicum expressis verbis significaturum fuisse, porphyriones aves quanto majores molestias exhibiturae essent Jovi utpote alis instructae. Sed tale quid poeta neque fecit eo, quod ad verbum *πορφυρίωνας* addidit vocabulum *ὄρνις*, neque vero post verba *εἰς Πορφυρίων* addidit quaedam de eo, quod hic non esset alatus. Postquam de his ita disputavi solo meo usus judicio, memini demum, jam Joannem Henricum Vossium ex hoc loco conjecturam cepisse de Gigantibus alatis Epistol. argum. myth. T. II. p. 19 ed. II. Sed is ita esse affirmavit potius, quam rationibus idoneis demonstravit; quod dixit, scholiastam adnotare, adludi ad alas Porphyrionis Gigantis, omnino non est verum. Neque videtur illam sententiam persuasisse Gerhardio serioribus demum temporibus alas tributas esse Gigantibus censenti comment. de personis alatis artis antiquae, quae est inter commentationes Academiae regiae Berolinensis a. 1839 recitatas a. 1841 in publicum editas, p. 199. — Porro quaeritur, quid sibi voluerit Comicus verbis *παρδαλᾶς ἐνημμένους*. Scholiastes ad Vs. 1250: *παρδαλᾶς: παρδάλεων δορᾶς. Ἔπαιξε πρὸς τὴν πτέρωσιν αὐτῶν· κυάνεοι γάρ εἰσι.* Hoc verum quidem, sed ratio haudquaquam idonea. De porphyrione ave imprimis consulenda sunt quae scripserunt Aristoteles Hist. An. VIII. 8, Athenaeus IX. p. 388, Plinius Nat. Hist. X. 46. Quamvis nullo verbo testatum reperiatur apud hos scriptores, avem maculosam esse in modum pardorum, quaesiverim tamen, itane fuerit. Tametsi, vel si non fuerit ita, illa verba probabilem explicationem admittunt. Avem enim illam Libycam esse tradiderat Alexander Myndensis, et ab altera parte scimus, equites Numidas gestasse pelles pardorum, belluarum ferarum Africanarum, de quibus rebus cfr. quae citavit Suevernius l. c. p. 76. Attamen fatendum est, vel sic praestare, si etiam illud sumere liceat. Utut illa res habet, hoc tantum non certo colligi posse videtur ex hoc loco, novisse Aristophanem Porphyrionem et, quod ultro sequitur, reliquos Gigantes pardorum pellibus indutos. Et ecce, duo

Gigantes tali vestitu repraesentati sunt libri, quo selectas quasdam vasorum picturas publicavit Gerhardius, tab. LXIV. 2. Cum quibus qui pugnans exhibitus est, is quum a Gerhardio probabiliter pro Apolline habitus sit, ab Apolline vero in pugna illa e Gigantibus interfectum esse Porphyrionem scholiastes ad Pindari Pyth. VIII. Vs. 23 referat, adeo conjicere licebit, alterum Gigantum in illa vasis pictura repraesentatorum esse hunc ipsum Porphyrionem pardi pelle indutum, quamquam Apollo hic gladio utitur, illic sagitta exanimasse Porphyrionem traditur. —

XII.

De Basilia.

Mirum videri potest, si quis de Basilia se dicturum significat, quam personam tyrannidem repraesentare nomen ipsum satis indicet et jam Suevernius in clarissima posuerit luce his accuratius disputatis l. c. p. 86: »Vorher hatte Peisthetairos die Vögel dadurch geködert, dass er ihnen vorstellte, ihnen gebühre die Herrschaft (*βασιλεία* V. 467. 549.), und als Zweck seines Projects angegeben, die Vögel wieder zu Königen zu machen (V. 562. 568). Jetzt aber, wo er ihre Angelegenheiten ganz in seiner Hand hat, wird ihm von dem schlauen Achselträger mit bestimmter Unterscheidung der Rath gegeben, den Vögeln das Scepter, für sich selbst aber die Basileia zur Frau (V. 1535. *Τὸ σκῆπτρον — τοῖσιν ὄρνισιν — καὶ τὴν Βασίλειαν σοὶ γυναῖκ' ἔχειν*) von Zeus, dem Könige der Götter, von welchem nach Homeros alle Herrschergewalt ausgeht, auszubedingen. Und, um den Sinn des Letztern nicht im Dunkeln zu lassen, wird die Basileia als die Verweserin alles dessen, wodurch die Demokratie in Athen regiert wurde (Vs. 1538 *τὸν κεραυνὸν τοῦ Διὸς* s. weiter unten *)), was ihr Noth that (Vs. 1539 *τὴν εὐβουλίαν, τὴν εὐ-*

*) Verba, quae hic indicantur, leguntur p. 96 sqq. Ex quibus haec sola apposuisse satis habeo: «Es dürfte nicht zu gewagt sein —, den vom Chore bosonders gefeierten goldnen Donnerkeil, welchen Peisthetairos hier (dicit Suevernius Vs. 1714) schwingt, und womit er hinfort die Erde erschüttert, als jene in eine sinnbildliche Darstellung verwandelte Metapher der alten Komiker zu betrachten, und ihn für

νομίαν, τὴν σωφροσύνην), des Grundes ihrer Macht (*τὰ νεώρια*), der Finanzen und des Dikastenlohnes (*τὸν μωλακρέτην, τὰ τριώβολα*) und, wie mit komischer Erweiterung in Hinsicht auf den Hergang bei Volksversammlungen hinzugesetzt wird, auch des Gezänks (*τὴν λοιδορίαν* V. 1541), kurz als Inbegriff des Wesens und der Macht des Atheniensischen Staats (V. 1543) erklärt. Der Sinn des dem Peisthetairos ertheilten Raths ist also, seinem Vögelstaate das äussere Zeichen der Herrschaft über die Menschen zu lassen, die wahre Gewalt in diesem Staate aber sich selbst zu verschaffen, und was von dem Wesen und dem Umfange dieser Gewalt gesagt wird, ist alles auf die atheniensische Verfassung bezüglich». Neque quidquam detractum volo laudi, quae Suevernio debetur. Interim apparet, fingi aves non solum urbem et civitatem constituisse, verum etiam novos deos evasisse, neque Pisthetaerum tantum illius civitatis tyrannum cogitandum esse, sed etiam novorum deorum principem talem, qualis Juppiter deorum Olympiorum ad id tempus fuerat; porro Basiliae ita fieri mentionem, eam ut unam dearum Olympiarum cogitandam esse admodum probabile sit. Inquiramus igitur paullo accuratius, ad quamnam poeta alludi voluerit. De Basilia in scholio ad Vs. 1535 haec exstant perscripta: *Σωματοποιεῖ τὴν Βασίλειαν αὐτὸ τὸ πρᾶγμα ὡς γυναῖκα. Εὐφρόνιος ὅτι Διὸς θυγατὴρ ἡ Βασίλεια. Καὶ δοκεῖ τὸ κατὰ τὴν ἀθανασίαν αὐτῇ οἰκονομεῖν ἣν ἔχει καὶ παρὰ Βακχυλίδῃ ἡ Ἀθηνᾶ τῷ Τυδεῖ δώσουσα τὴν ἀθανασίαν. Ἔστι δὲ καὶ παρὰ Κρατίνῳ ἡ Βασίλεια. Ἔνιοι δὲ αὐτὴν ἀθανασίαν καλοῦσι.* Plurima omnium de Basilia rettulit Diodorus de Atlantidarum agens religione loco maximam partem excerpto ab Eusebio L. I. Praep. Evang. 2 p. 57, qui est Bibliothecae Historicae lib. III. cap. 57. Hujus capitis prima verba, imprimis illa digna quae legantur, haec sunt: *Οὐρανοῦ μυθολογοῦσι γενέσθαι παῖδας ἐκ πλειόνων γυναικῶν πέντε πρὸς τοῖς τετταράκοντα· καὶ τούτων ὀκτωκαίδεκα λέγουσιν ὑπάρχειν ἐκ Τιταίας, ὄνομα μὲν ἴδιον ἔχοντας ἑκάστους, κοινῇ δὲ πάντας ἀπὸ τῆς μη-*

---

den symbolischen Ausdruck der Redegewalt zu erklären, wodurch Perikles schon Athen und Hellas regierte, und mittelst dessen Peisthetairos künftig die attische Vögelwelt beherrschen wird «.

τρὸς ὀνομαζομένους Τιτᾶνας. Τὴν δὲ Τίταιαν, σώφρονα οὖσαν καὶ πολλῶν ἀγαθῶν αἰτίαν γενομένην τοῖς λαοῖς, ἀποθεωθῆναι μετὰ τὴν τελεύτην, ὑπὸ τῶν εὖ παθόντων Γῆν μετονομασθεῖσαν. Γενέσθαι δ' αὐτῶν καὶ θυγατέρας, ὧν εἶναι δύο τὰς πρεσβυτάτας πολὺ τῶν ἄλλων ἐπιφανεστάτας, τήν τε καλουμένην Βασίλειαν καὶ Ῥέαν τὴν ὑπ' ἐνίων Πανδώραν ὀνομασθεῖσαν. Τούτων δὲ τὴν μὲν Βασίλειαν, πρεσβυτάτην οὖσαν καὶ σωφροσύνῃ τε καὶ συνέσει πολὺ τῶν ἄλλων διαφέρουσαν, ἐκθρέψαι πάντας τοὺς ἀδελφοὺς κοινὴ μητρὸς εὔνοιαν παρεχομένην· διὸ καὶ μεγάλην μητέρα προσαγορευθῆναι. Μετὰ δὲ τὴν τοῦ πατρὸς ἐξ ἀνθρώπων εἰς θεοὺς μετάστασιν συγχωρούντων τῶν ὄχλων καὶ τῶν ἀδελφῶν διαδέξασθαι τὴν βασιλείαν παρθένον οὖσαν, ἔτι δὲ καὶ διὰ τὴν ὑπερβολὴν τῆς σωφροσύνης οὐδενὶ συνοικῆσαι βουληθεῖσαν. Ὕστερον δὲ βουλομένην διαδόχους τῆς βασιλείας ἀπολιπεῖν υἱοὺς Ὑπερίονι συνοικῆσαι τῶν ἀδελφῶν ἑνί, πρὸς ὃν οἰκειότατα διέκειτο. Γενομένων δ' αὐτῇ δύο τέκνων, Ἡλίου καὶ Σελήνης cett. Et sub finem capitis haec reperiuntur scripta, neque illa indigna lectu: Πάντων δὲ τὸ περὶ αὐτὴν πάθος ἐλεούντων, καί τινων ἀντεχομένων τοῦ σώματος, ἐπιγενέσθαι πλῆθος ὄμβρου καὶ συνεχεῖς κεραυνῶν πτώσεις. ἐνταῦθα δὲ τὴν μὲν Βασίλειαν ἀφανῆ γενέσθαι, τοὺς δ' ὄχλους θαυμάσαντας τὴν περιπέτειαν τὸν μὲν Ἥλιον καὶ τὴν Σελήνην τῇ προσηγορίᾳ καὶ ταῖς τιμαῖς μεταγαγεῖν ἐπὶ τὰ κατ' οὐρανὸν ἄστρα, τὴν δὲ μητέρα τούτων θεόν τε νομίσαι καὶ βώμους ἱδρύσασθαι, καὶ ταῖς διὰ τῶν τυμπάνων καὶ κυμβάλων ἐνεργείαις καὶ τοῖς ἄλλοῖς ἅπασιν, ἀπομιμουμένους τὰ περὶ αὐτὴν συμβάντα θυσίας καὶ τὰς ἄλλας τιμὰς ἀπονεῖμαι. Denique nuperrime a Ludovico Rossio operis, quod inscribitur »Annali dell' Instituto di corrispondenza archeologica», Vol. XIII, fasc. I. p. 21 publicata est inscriptio Graeca in Thera insula reperta haecce: Θεᾷ Βασιλείᾳ Ἐπ[ίλ]ογχος (?) καὶ [Παν]αρίστα (vel Μεγαρίστα?) χαριστεῖον. De qua sic Rossius: »Il ne s'agit donc, que de savoir, quelle peut être la déesse désignée sous le nom de *Reine* ou *Royale*, Θεὰ Βασίλεια. Ce surnom est donné à Aphrodité (Ἀφροδίτη Βασίλεια, Athen. 12, p. 510. Venus Regina, Prop. 4, 5, 63), à la mère des dieux Cybélé (Diod. Sic. 3, 57), et dans la forme Βασιλίς, à Héra (Ἥρᾳ Βασιλίδι τῇ

πόλει Λεβαδέων cett., C. I. G. I, n. 1603), épouse du Roi des dieux (Ζεὺς Βασιλεύς). Or, nous ne croyons pas qu'il y ait lieu ici de penser à Junon; il faudrait plutôt se décider pour Vénus, comme divinité d'attributions sépulcrales, ou pour Cybélé, dont le culte à Théra est aussi attesté par une autre inscription». Posterius mihi quidem priore verosimilius videtur. Illa Rossii verba plenius exscribenda curavi etiam ideo, quod in iis dearum a Graecis Βασίλειαι sive Βασιλίδες cognominatarum recensus factus est. Omisit tamen Rossius unam, cujus hac in caussa mentio maximi est momenti, dico Minervam. Tzetzes enim adn. ad Lycophronis Alexandr. Vs. 111 haec prodidit memoriae: Ἀθηνᾷ τινὶ βασιλίδι, τῇ καὶ Βελονίκῃ λεγομένῃ, θυγατρὶ δὲ Βροντέου ὑπαρχούσῃ, Ἥφαιστος γάμῳ μιγεὶς γεννᾷ Ἐριχθόνιον, ὃς ἐβασίλευσεν τῆς Ἀττικῆς· πολλαὶ γὰρ ἦσαν καὶ Ἀθηναῖ καὶ Ἀφροδῖται, καὶ οὐ μία, οὐδὲ μυθική, ὡς καὶ τὰ λοιπὰ τῶν ὀνομάτων. In his verbis quanquam de Minerva tanquam de regina et de patre ipsius tanquam de homine sermo est, tamen facile sentitur, hunc nullum alium esse cogitandum, quam ipsum Jovem Βροντᾶον, quo cognomine summus deus appellatur hymn. Orph. XIV, 9 — et nescio an apud Tzetzam rescribendum sit Βροντάιον, ut est in codd. Vitt. 2 et 3 atque apud Eudociam et Phavorinum, — neque id, quod Minerva ab iis, qui Euhemerum sequerentur, regina facta est, non ducere eo, ut haec dea *Regina*, Βασιλίς, cognominata sit. Quo auctore usus Tzetzes illa scripserit, nescimus; Diodorum secutum esse Dionysium Samium, Euhemeri sectatorem, Weichertus docuit libri, quo de Apollonio Rhodio egit, p. 179; cfr. etiam Lobeckii Aglaopham. T. II. p. 991. Inesse autem in Diodori verbis ad Basiliam spectantibus, quae eadem de Graeca Minerva praedicata reperiantur apud scriptores veteres, non est quod expressis verbis moneamus aut ostendamus singillatim. Adnotamus tantummodo, neque id, quod Basiliae idem locus assignatur, quo secundum Theogoniae Hesiodiae Vs. 371 sqq. est Thia, lucis illa atque splendoris dea, (quo de cfr. Welckeri et Dissenii verba publicata adn. ad Pindari Isthm. IV, 1,) abludere ab eo, quod aliunde notum est de Minerva, et similiter, atque Luna Basiliae Titanidis filia perhibetur, secundum alios Minervam et Lunam ad unam eandemque Ti-

tanum familiam pertinere, quibus de rebus satis habeo relegasse ad ea, quae scripta sunt a Muellero libri, qui inscribitur: «Allgemeine Encyclopaedie der Wissenschaften und Künste», l. c. §. 66. p. 115 sq.; in eo autem, quod Basilia secundum Diodorum Titanis est, eo minus esse offendendum, quod etiam Minervam Pallante, Titanis filio vel Gigante, genitam fabulabantur et arctissimo cohaerere vinculo cum Gigantibus ab ipsa debellatis observare licet, quo de cfr. quae dixit Muellerus l. c. §. 1. p. 76, §. 52. p. 106, §. 69. p. 117; — quin illae genealogiae adeo congruunt cum ea, quam Diodorus tradit, ut, quum in hac matrem *Titaeam* deprehendamus, secundum illas matris nomen sit *Titanis*; quod quominus proprie *Tritonis* audire debere arbitremur, in quam sententiam etiam Muellerus abiit p. 106., adn. 9, nunc etiam magis prohibemur, quam antea. Porro monemus, neque illud, quod Basiliam virginem tandem nuptam cognoscimus, omnino non quadrare ad Minervam; denique: id, quod de imbre et fulminum ictibus narratur sub finem capitis, optime referri posse ad hanc eandem deam, quam imprimis fulmen jacere creditam esse notissima res est. Verbo: in iis, quae tanquam Atlantidarum de Basilia *μυθολογούμενα* referuntur a Diodoro, probabile videtur, *plura* inesse, quae apud Graecos aut eodem modo aut similiter ferrentur de Minerva eadem Basilia. Hoc probato licebit illo Diodori loco uti tanquam testimonio simul et explicatione necessitudinis, quae secundum fabulas Atticas intercesserit inter Minervam et Pandoram, de qua re cfr. quae disseruerunt Gerhardius in dissertatione, quam inscripsit «Festgedanken an Winckelmann», Berolini a. 1841 edita, et hujus censorem agens Jahnius nov. Annalium philol. et paedag. Vol. XXXVIII, fasc. 4. p. 463. Huc accedunt haecce. Pandora, quo nomine Rheam Basiliae sororem appellatam esse a nonnullis Diodorus memoriae prodidit, altera fuit earum, quae appellabantur *παρθένοι Ἐρεχθηΐδες*, priori Protogeniae nomen erat. Jam notum est, Pandorae, quoties Minervae vacca mactabatur, ovem vel arietem sacrificatum esse, ad quam rem spectant etiam verba hujus ipsius fabulae Vs. 971 posita, vid. praeterea, quae congessit Muellerus l. c. p. 781; sed de sacris Protogeniae oblatis nihil omnino reperitur traditum. Quod, quum praesertim

Protogenia natu et, ut probabile est, dignitate fuerit major, non potest non videri mirum. Sed desinet res mira videri, si Protogeniam proprie nullam aliam, quam ipsam Minervam, esse sumptum fuerit, et revera *illi*, utpote majori numini, vaccam esse immolatam. Cum qua conjectura eximie congruit, quod etiam Pandorae sororem Basiliam apud Diodorum legimus omnium Coeli atque Titaeae liberorum natu maximam esse. Omnino, ipsam Atticam Minervam fuisse eam, quae *Βασίλεια* sive *Βασιλὶς* cognominabatur, fidem faciunt etiam Tzetzae verba paullo supra tractata, si vera sunt, quae de iis disputavimus. Verum haec indicasse magis, quam exposuisse, hoc loco satis habeo. Videamus jam, num quae in hac ipsa fabula insint eo ducentia, ut ab hoc poeta Basiliam nullam aliam habitam esse, quam Minervam, sumamus. Initium capiamus a sententia Euphronii tractanda. Is quum Basiliam Jovis filiam dixerit, quaeritur, utrum id fecerit ab aliis doctus an ductus iis ipsis, quae apud hunc poetam de Basilia sunt posita; porro: quam Jovis filiam intellexerit. Quod ad hanc alteram attinet quaestionem, scholiastes, qui de illa Euphronii sententia rettulit, existimasse videtur, hunc nullam aliam intellexissse, quam Minervam. Accuratiora de hac re non possunt effici. De priore illo etiam magis dubia res est. Fieri sanequam optime potest, ut Euphronius suam sententiam aliunde hauserit et auctores satis locupletes secutus sit; sed negari nequit, posse etiam fieri, ut nullo usus sit nisi hoc poeta. Ecce tibi locum, qui est Vs. 1752 et 1753, ubi haec posita sunt de Pisthetaero:

Διὰ σέ τὰ πάντα κρατήσας
καὶ πάρεδρον Βασίλειαν ἔχει Διός.

Haec verba facillime ita accipi possunt, ut chorus dicat, Pisthetaerum sociam habere Basiliam Jovis filiam. Vulgo ita capiuntur, quasi poeta potius dicentem fecerit chorum, Pisthetaerum Basiliam habere, quae Jovi assideat. Sed mirum esset, si Comicus, illa verborum collocatione usus non esset eo fine, ut significaret, Basiliam Jovis filiam esse. Quidquid igitur statuitur de fonte, ex quo Euphronius hauserit illam notitiam, hoc certum est, ab Aristophane Basiliam Jovis filiam habitam esse. Sed quamnam ille intellexit Jovis filiam eandem virginem, — nam *κόρη* saepius appellatur Basilia, — utrum

Minervam an aliam quam? Jam illud, quod Basilia loco modo tractato *πάρεδρος Διὸς* appellatur, si haec vera est explicandi ratio, eo ducit, ut eum nullam nisi Minervam in mente habuisse probabile ducamus, cfr. Spanhemii observat. in Callimachi Hymn. in Pallad. Vs. 132 et 133. Accuratius etiam, et ita ut nullus scrupulus relinquatur, Minerva indigitatur Vs. 1537 sqq., quem locum, quanquam jam a Suevernio respectum, hanc ob caussam non possumus, quin integrum apponamus:

ΠΕΙΣΘΕΤΑΙΡΟΣ.

Τίς ἐστιν ἡ Βασίλεια;

ΠΡΟΜΗΘΕΥΣ.

Καλλίστη κόρη,
ἥπερ ταμιεύει τὸν κεραυνὸν τοῦ Διὸς
καὶ τἄλλ' ἁπαξάπαντα, τὴν εὐβουλίαν,
τὴν εὐνομίαν, τὴν σωφροσύνην, τὰ νεώρια,
τὴν λοιδορίαν, τὸν κωλακρέτην, τὰ τριώβολα.

ΠΕΙΣΘΕΤΑΙΡΟΣ.

Ἅπαντα τἄρ' αὐτῷ ταμιεύει.

ΠΡΟΜΗΘΕΥΣ.

Φήμ' ἐγώ.
Ἦν γ' ἦν σὺ παρ' ἐκείνου παραλάβῃς, πάντ' ἔγεις.

Quis, qui prima illa Promethei verba legerit, non meminerit eorum, quae Aeschylus Eumen. Vs. 791 sq. dicentem facit Minervam:

κλῇδας οἶδα δωμάτων μόνη θεῶν
ἐν ᾧ κεραυνός ἐστιν ἐσφραγισμένος.

Hic Tragici locus, si illa Comici verba ad Minervam spectare probabile fuerit visum, ad verbum capi potest ita, ut Minerva dicat, se solam inter deos (et deas) scire (ubi jaceant) claves domus illius, in qua fulmen sit obsignatum, quam interpretationem vel per se facillimam et aptissimam esse, hodie fateor, quamquam quum de loco Eumenidum commentabar P. I. p. CXXVI sq. adnot. 125, nondum perspecta hujus loci Aristophanii relatione, idoneas caussas habere mihi videbar, cur aliter statuerem. Quod vero ad reliquam verborum Promethei partem attinet, etiam haec ad nullam deam tam esse apta, quam ad Minervam, concedat necesse erit, qui memi-

nerit, inter omnes deos, si Jovem exceperis, nulli civitatum tutelam vel rerum publicarum administrationem tantopere esse cordi, quam Minervae, in qua eximiae potentiae cum sapientia ac prudentia concentus agnoscebatur. Simul illa verba in memoriam revocant haec Aristidis de Minerva dicta p. 31 Steph.: *τοῦ Διὸς ἔργα κοινὰ τοῦ Διὸς καὶ τῆς Ἀθηνᾶς.* Sed objiciat aliquis, non liquere, cur, si ita sit, poeta non appellaverit ipsam Minervam, sed nomine minus noto usus sit. Verum ita ut ageret, idoneis caussis poterat moveri. Etenim nomen *Βασίλεια* aperte significantius erat et ad rem aptius, quam *Ἀθηνᾶ*, hanc autem intelligendam esse ut perspiceretur, et fabulis cautum erat et ab ipso poeta iis, quae de dea dixit, satis provisum. Nec refert, quod in ea fabulae parte, ubi de Basilia sermo est, Minervae ita fit mentio, ut proprio nomine *Ἀθηναία* vocetur, Vs. 1562 sqq.:

— πῶς ἄν ποτε
ἐπίκληρον εἶναι τὴν Ἀθηναίαν δοκεῖς
οὖσαν θυγατρὸς, ὄντων ἀδελφῶν γνησίων;

Immo id ipsum, quod hoc loco Minerva dicitur *ἐπίκληρος* Jovis, si cum iis contenditur, quae aliis fabulae locis de Basilia posita reperiuntur, ad nullam aliam tam bene quadrat, quam ad Basiliam, ita ut vel hunc locum iis adnumerare liceat, e quibus Basiliam non diversam esse a Minerva appareat. Neque hoc velim praetervideamus. Supra enim Vs. 828 Pisthetaerus Minervam (*Ἀθηναίαν πολιάδα*) designat Nephelococcygiae *θεὸν πολιοῦχον*. Cui adversatur quidem Euelpides, sed ejus verba omnino non curantur; neque in iis, quae postea leguntur, ullius alius *θεοῦ πολιούχου* mentio fit. Jam profecto non intelligitur, non tam quo fine poeta illius *avium* urbis Minervam esse *θεὸν πολιοῦχον* finxerit, de quo vide, quae supra p. 113 et 118 monuimus, quam quomodo ipsi hanc rem fingere licuerit, quum reliquorum deorum Olympiorum, excepta Basilia, nullam omnino rationem haberi voluerit, atque ea, quae sub finem fabulae de hac fecit, ita comparata sint, ut eum potius Basiliam *θεὸν πολιοῦχον* constituturum fuisse exspectes. Hi igitur scrupuli remoti erunt, si sumptum fuerit, Comicum voluisse, Basiliam eandem esse atque Minervam. — Acquiescam in his indicatis magis quam ordine disputatis. Hac igitur Basilia in matrimonium ducta Pisthetaerus tum novus Juppiter

fit, tum avium urbis dominus, quippe qui eam sibi junxerit, quae illius est *θεὸς πολιοῦχος*. Atque eadem ipsa, ut eam *Nephelococcygiae* arcem tenere *fingitur*, ita *revera* tenebat *Athenarum* arcem. —

ERRATA.

Pag. 6, lin. 15 scrib. ἐπράθη. — P. 6, l. 6 ab im. pag. ante vocem *arte* intercidit: *quam*. — P. 6, l. 5 ab im. pag. scr. *Jovi*. — P. 12, l. 1 scr. *placet*. — P. 16, l. 14 ab im. pag. scr. τοῖς. — P. 21, l. 5 ab im. pag. post vocem *vir* excidit: *quidam*. — P. 50, l. 11 ab im. pag. post verba *signum canendi* intercidit: *choro*. — P. 53, l. 13 ab im. pag. scr. *discimus*. — P. 57, l. 6 ab im. pag. scr. κοκκοβόαν. — P. 62, l. 3 ab im. pag. scr. *Florentinis*. — P. 71, l. 16 scr. *posuit*. — P. 71, l. 3 ab im. pag. scr. *malimus*. — P. 77, l. 3 ab im. pag. pro: *dextram* scr. *sinistram*. — P. 82, l. 22 scr. *epiphthegmate*. — P. 84, l. 13 scr. *unam partem*. — P. 86, l. 16 ab im. pag. scr. οἴμοι. — P. 89. l. 1 scr. οἱ. — P. 96, l. 18 ab im. pag. ante βασιλεῖ intercidit θύῃ. — P. 96, l. 14 ab im. pag. pro *verbis* scr. *versibus*.

Leviores quosdam typothetae errores in verbis exscribendis commissos et interpunctionis signa ubi non recte posita sint, ubi temere omissa, indicare supersedemus.

END OF TITLE